Tractaten. 12













APOLOGIA

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS WILLELMI

DEI GRATIA PRINCIPIS AVraicæ; Comitis Nassauiæ, Catthorum, Dietzij, Viandæ; Burgrauij Antuerpiæ; Vicecomitis Bisontij; Baronis Bredæ, Diestij, Grimberghæ, Arlei, Nozereij, &c. Domini Castrobelini, &c. Propręsidis generalis per vniuersum Belgium, Præsidis Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, Frisiorum, &c. Admirallij, &c.

Ad Proscriptionem ab Hispaniarum rege in eum promulgatam. cui adiuncta est

RESPONSIO AD QVASDAM LITERAS EIDEM PRINCIPI FALso à Parmensi adscriptas.

AD ORDINES GENERALES.

SCRV-  TAMINI.

Apud Carolum Sylvium, Typographum Ordinum Hollandiæ.

M. D. LXXXI.


KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

LITERÆ PRINCIPIS AVRAICI AD REGEM ac Dynaſtas nominis Chriſtiani.



ON *dubito Rex potẽtiſsime, quin Maieſtas tua certior facta de proſcriptione illa fuerit quã contra me rex Hiſpaniarum publicauit; quippe qui eam omnibus linguis promulgandam curarit, & in varias orbis Chriſtiani partes miſſam diſſeminarit. Viſum eſt igitur, tũ mihi tũ amicis meis, me existimationi meæ (de qua conſilium non eſt periclitari) defuturum, niſi proſcriptioni illi, iuſta defenſione occurriſſem. Itaque Apologiam meam Ordinibus Belgij noſtri obtuli; quoq́ue diligentius nomini & honori meo cautum eſſet, apud Principes, ac*

Dynastas Europæos (quorum celsitudinis ac dignitatis est, miseris ac afflictis Principibus solatio ac præsidio esse) eandem illis quoq; recognoscendam mittere non dubitaui, seorsum verò Maiestati tuæ, à qua demissè peto, vt eam legere ac iudicium de ea tale facere dignetur, quale Ordinibus (oculatis omnium mearum actionum testibus) facere visum est, quemadmodum ex eorum sententia Apologiæ nostræ annexa Maiestati tuæ promptum erit intelligere. Et quoniam Maiestati tuæ mirũ videri poterat quòd cùm me Rex Hispaniarum bonis meis spoliauerit, etiam post abdicatas præfecturas meas ac in manus traditas Ducissæ Parmensi id tẽporis Belgij gubernatrici, cùm iam in Germaniam vnde oriundus eram, discessissem, & apud fratres meos, cognatos, & amicos ibidem habitandi ac quietè vitam degendi locum delegissem: eodemque tempore ex academia filium meum Comitem Burensem deportasset, contraque regionis priuilegia &

iusiu-

iusiurandum suum in Hispaniam captiuum abduxisset, vbi etiamnum miser tenetur: atque insuper per ministrum suum Ducem Albanum capitis me damnasset: quoniam, inquam, mirum videri poterat me qui tot ac tam grauibus iniuriis nunquam impelli potuerim vt defensionem ederem aduersus regem: nunc ad id faciendum accedere, & docere iis ipsis criminibus regem teneri quæ mihi conatur impingere: Supplex à Maiestate tua rex peto, vt antequam de hoc meo scripto sententiam feras, tum genera criminum quorum in hac proscriptione accusamur, tum personam meam considerare atque expendere digneris. Nam si regi satisfuisset filium meũ mihi ac bona detinere, ac vicena quina millia coronatorũ pro capite nostro offerre, percussori nobilitatem promittere, crimen qualecunque patrassent condonare: eandem conseruandi mei meorumq́ue rationem quam hactenus sum sequutus, porrò tenuissem; fortunasq́ue meas recu-

perare ſtuduiſſem, nec à priſtina vitæ conſuetudine quicquam receſſiſſem. Sed cùm toto orbe publicarit me eſſe peſtem publicam, orbis terrarum hoſtem, ingratum, perfidum, proditorem, ſceleratum: hæ verò, Rex, huiuſmodi ſunt contumeliæ, quas nemo non dicam nobilis, ſed ne infimus quidem regis Hiſpaniarum ſubditus, ferre aut poßit aut debeat: vt etiamſi merus aliquis ac abſolutus Vaſſalus eſſem: tamē huiuſmodi ſententia tam ex omni parte iniqua, cùm ab eo feudis ac ditionibus meis ſim exutus, quorum nomine iureiurando ei antè fueram obſtrictus, ſolutum me omni obligatione ducerem; & , quod natura omnibus dictat, conarer quauis ratione tueri exiſtimationem meam, quæ mihi & omnibus generoſis pectoribus vita debet eſſe carior. Veruntamen cùm pro ſua benignitate Deus nobis indulſerit liberum naſci principem, ſoli aſtrictum Imperio, vt alij plerique Germaniæ ac Italiæ principes, & quod maius eſt, titulum gerere

rere Principis absoluti, tametsi Principatus meus non ita latè pateat; vtvt est, cùm ei naturalis subditus non sim, nec alio quàm ditionum mearum nomine, deuinctus ei fuerim, quibus penitus me priuauit: visus sum mihi nec honori meo, nec cognatis, nec tot principibus quos sanguinis propinquitate attingo, denique nec posteritati meæ fuisse satisfacturus; nisi accusationi huic, in oculis orbis Christiani positæ, respondissem. Et quanquam facere id non potui, vt non honorem eius alibi tetigerim; spero tamẽ Maiestatem tuam id ascripturam potius necessitati ei, quam mihi attulit proscriptionis huius conditio, quàm ingenio aut voluntati meæ. Nam, quod quibusdam peregrinum videri poßit, me qui pleraque prædia ac ditiones iure clientelari ab ipso habuerim, hoc vti genere defensionis; supplex Maiestatem tuã, Rex, orabo, vt contumeliæ mihi factæ atrocitatem, quam nemo vnquam nobilis ferendam sibi putauit, apud animum tuum digneris

perpendere, quemadmodum & quòd ei ſubditus naturalis non ſum, & quòd me feudis meis ſpoliarit. Et quamuis ſanè continuè iis eſſem vſus, non tamen video cur mihi ius illud denegetur, quod ipſe ſibi in regem Galliarum vſurpauit. Ab hoc igitur principe tanquam à Domino ſuo Vaſſalus Comitatum Charolotenſem iure tenet clientelari, nec ob id minus eidem regi bellum fecit, nec deſinit quotidie aliquid aduerſus Galliæ ſtatum moliri.

In Literis ad regem Galliæ ſcriptum eſt: *tenet de Maieſtate tua.*

Tuetur factum ſuum hac ratione, quòd cùm alibi abſolutus ſit princeps, fas ſibi ſit iniuriam vt ipſe autumat, abs Rege Henrico piæ memoriæ acceptam iure ſuo vindicare. Quo tempore Pontifici Caraffæ bellum inferebat quandoquidem ab eodem regnum Siculum ac Neapolitanum iure clientelari teneret, Apologiam edidit, qua defendebat ſe iureiurando eſſe abſolutum, propterea quòd ſe Pontifex limitibus iis non continuiſſet, quibus Vaſſalo Dominus obligatur, ſecundum iura feu-

feudalia: quæ mutuam habent obligationem. Atqui nihil tam est naturæ consentaneum Rex, quàm vt eam quisq. legem accipiat quam aliis ipse tulerit. Quocirca peregrinum ei videri non debet si tot modis ab eo læsus, qui subditus ei nō sim, quibus possum rationibus me tueor, & quibus ipse contra Dominos suos est vsus, quorum iniuriæ si quæ in ipsum fuerunt, ne conferantur quidem cum iis quas ego sum perpessus, & cum ea macula quam mihi inurendo & me & genus meum studet obliterare. Et quoniam clarissimi Belgij Ordines, quibus propius cognita est defensionis meæ veritas, eandem approbarunt non sine luculento testimonio anteactæ vitæ meæ: vicissim à Maiestate tua Rex demißè petam, vt comprobata hac nostra defensione persuadere tibi digneris me nec proditorem esse, nec sceleratum, sed Dei beneficio nobilem, antiquiss. familiæ, virum probum, in promissis seruandis fidum, non ingratum, ac persi-

posturas ac calumnias aperuisse, verumetiã anteactam vitam meam, & res gestas ab omni suggillatione vindicasse. Et quoniam illud præcipuè spectant, id agunt, in hoc incumbunt, quo me vita spolient, aut certè exilio mulctandum curent; aut si ne hoc quidem, saltẽ auctoritatem quam à vobis accepi imminuant, quòd sperẽt omnia sibi ad voluptatem casura, si horum vnum aliquod obtineãt: & rursum quia criminantur me auctoritatem meam per fas ac nefas retinere: illud vobis de me persuadeatis etiam atque etiam oro, vt quanquã ita me comparaui vt viuere inter vos & officiũ meũ vobis deferre cupiam, quoad per Dei benignitatẽ licebit: tamen nec vitam meã obsequiis vestris consecratam, nec desiderium inter vos viuendi tanti mihi esse, vt non libenter aut vitam deseram, aut patriã hanc cum exilio commutem, si alterutrum libertati vestræ profuturũ existimetis. Et quod ad auctoritatem qua me ornare voluistis, ipsi vos scitis Domini, quoties à vobis contenderim, vt officio meo contenti esse, & abrogare mihi magistratum velletis; si commodo rerum vestrarum id fieri posset: quod ipsum adhuc postulo vt faciatis

ciatis: veruntamen vt (quod ſemper feci) officium meum patriæ porrò deferam, prę qua mihi omnia vilent : quemadmodum vobis plenius in hac mea defenſione declaro; quam peto à vobis ſi conſultum videbitis vt typis mandari, atq; in vulgus exire iubeatis, vt non vos ſolùm Domini, verumetiam reliquus orbis, & de cauſæ meæ bonitate, & de iniuſtitia aduerſariorum meorum poſſint iudicare.

Oblata à Domino Principe Auraico, Dominis Deputatis Ordinum generalium & confœderatarum prouinciarum in conuentu Delphico, Idib. Decembris, Anno M. D. LXXX.

Infra ſcriptum erat,

Præſente me I. Houfflin.

RESPONSIO ORDINVM GENERALIVM.

GEnerales Ordines, visa nuper ac recognita proscriptione quadam ab hoste contra vestram Celsitudinẽ publicata, in qua eandem nefariis criminibus onerantes partim exosam reddere, quasi eum locum ac dignitatis gradum in quo est collocata, malis artibus ac sinistris agendi rationibus vsurpasset, partim vitam eius prædæ exponere & existimationem eripere conantur: vicißimq́; Excellentiæ vestræ Apologia contra proscriptionem eam recognita; Deprehendunt ex his quæ reuera in Belgio contigerunt, quæq́; pro se quisque facta gestaq́; meminit, crimina illa ac probra, iniuriâ ipsi imposita fuisse: Et quod ad munera, tam Vicariatus generalis, quàm prouincialium præfecturarum, post legitimam electionem, nõ accepisse ea, nisi precibus nostris multum fatigatam; sed nec continuasse magistratus illos, sine nostris precibus, nec geßisse absque summa patriæ approbatione: orantq́; etiamnum & obsecrant vt in eodem velit perseuerare, omnem ei operam & auxilium pollicentes cũ summa obedien-

tia

tia & omnium rerũ ſuarum ἀφθονία. Et quoniã Celſitudinis tuæ præclariſsima in Rempub. merita agnoſcunt, & alia etiam deinceps expectant: profitentur ſe ſtipendiis ſuis equitum turmam in corporis tui ſatellitium alturos; orantq́; vt officium hoc accipere digneris, ab iis oblatum, qui ſibi pro ſalute tua agnoſcunt eſſe excubandum. Et quoniam iidem Ordines ſe quoq; proſcriptione illa granari arbitrantur, cogitant & ipſi ſe defendere quemadmodum ipſis conſultiſsimũ videbitur. Sic decretum in Conſeſſu dominorum Ordinum generalium. Delphis XIIII. *Cal. Ianuarij* M. D. LXXX.

Expreſſo mandato eorundem Ordinum ſubſcriptum

I. Houfflin.



APOLOGIA
ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS VVILLELMI

DEI GRATIA PRINCIPIS *Auraicæ, Comitis Nassauiæ, Catthorum, Dietzij, Viandæ, Burgrauij Antuerpiæ, Vicecomitis Bisontij, Baronis Bredæ, Diestij, Grimberghæ, Arlei, Nozereij, &c. Domini Castrobelini, &c. Propræsidis generalis per vniuersum Belgium, Præsidis Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, Frisiorum, &c. Admirallij, &c.*



QVOD summis votis semper expetiui, quodque vnicè precibus à Deo contendi, ex quo me meaque omnia pro recuperanda libertate vestra, proq. incolumitate capitis, fortunarũ, ac consciẽtię semel deuoui, Viri ornatissimi: vt si priuatim mea commoda publicis antetulissem, in eam pœnam atque infamiã incurrerẽ, quam peccati mei culpa commeruisset: sin autẽ tot meis anteactis laboribus, curis, vigiliis, atque etiam sumptibus, quos cum rei familiaris meæ omnimoda pernicie, in hoc bellum sanè maximos impendi, nihil aliud egissem, quàm vt vobis vniuersis, atque huic Reipub.

ſua ſalus, atque incolumitas conſtaret; optaſſemq́;
vt diu multumq́ue cælatum illud conſceleratiſſi-
morum hominum odiũ aduerſus bonos omnes,
totamq́ue adeò Rempub. in meum vnius caput
potius, quàm in illorum omnium verteretur: ſi in-
quam is meus animus, hæc voluntas erga vos, li-
beros veſtros, ciuitates, totamq́ue adeò Rempub.
fuiſſet, tum vt id referrem teſtimonij, quod & ani-
mo meo præclariſſimè ſibi conſcio ſatisfaceret, &
exiſtimationem meam apud omnes nationes, to-
tamq́ue adeò poſteritatem tueretur: idipſum eſt
quod mihi nunc contigiſſe ſummopere gaudeo &
animo meo abundè ſatisfactum profiteor, Deoq́;
gratias ago quam poſſum maximas, qui me tam
illuſtri, tamq́ue memorabili teſſera ornari paſſus
eſt, proſcriptione hac dico tam barbara, tam cru-
deli, tam immani, tam denique inuſitata, inuiſa,
inaudita huic prouinciæ, ſingularis cuiuſdam hu-
manitatis laude, toto orbe, commendatiſſimę. Nã
tametſi homini nihil eſſe poteſt optatius quàm
inoffenſo atq; æquabili curſu, vitæ huius ſtadium
decurrere: ſi tamẽ ad volũtatem omnia mihi flu-
xiſſent, nec in Hiſpanorũ & illius factionis odiũ
incurriſſem, carerem profectò vberrimo illo, ac
præclariſſimo hoſtilis teſtimonij fructu; quod ego
mihi palmarium adeò glorioſum duco, vt ne op-
tare quidem in vita vllum maius potuerim. Quid
enim accidere poteſt gratius, ei præſertim qui hu-
maniſſimæ gentis libertatem, rem multò præcla-
riſſimam, ab Hiſpanica tyrannide vindicandam
ſumpſerit, quàm inimicis & ſuis, & patriæ capita-
liter exoſum, atque inuiſum eſſe? & ab iiſdem fi-
delitatis

delitatis erga ſuos, fortitudinis in tyrannos, & publicæ pacis turbatores, locupletiſſimo ſanè teſtimonio decorari? vt quare Hiſpani, & tota illa factio nocere nobis, atque incommodare cogitarunt (quod hac infami proſcriptione potiſſimum ſunt conati) ea (inquam) ipſa maximè nos exhilararint, atque animo noſtro ſatisfecerint. Neque enim hunc fructum ſolum percepi, ſed campũ etiã defendendi mei multo aperuerũt latiorem, quàm vel optare poteram, dum neceſſitatem mihi faciũt actionum mearum, rerumq. geſtarum rationem omnibus reddendi; quarum actionum exemplum cùm ad poſteritatem meã laudabiliter tranſmittatur, tum iis veniat imitandũ, qui maioribus noſtris dedecori eſſe nolint: quorum nemo tyrannidis vnquam fautor exſtitit, ſed ad vnũ omnes eorum populorum libertati ſtuduerunt, quibus aliquando præfuerunt. Equidem illud dicere non poſſum, defuiſſe mihi antehac materiã, & de me ipſo loquendi, & inimicorum grauiſſima vitia inſectandi: ſed nec pudor meus me ſinebat laudes meas decantare, à quo ſibi in huiuſmodi argumẽto temperare, quamlibet modeſtè dicatur, difficillimum eſt: nec me publicus honor patiebatur, vt in commemorandis inimicorum criminibus, noſtra triumpharet oratio; qui ſatius eſſe ducerẽ, nefarios ipſorum conatus, bona ex parte ſilẽtio premere, quàm iiſdem, etſi verè, diuulgandis maledicentiæ periculum ſubire. Quoniam autẽ viri grauiſs. hac proſcriptione non tantùm exiſtimatio mea, & caput petitur, ſed per meum latus tota hęc Reſpub. confoditur: neque iam famoſis priuato-

rum libellis impetor vt olim, quorum me iniuriæ
nihilo plus mouebant quàm ſerpentum linguæ,
quos pede proterere ſatius eſt quã armis propulſa-
re; ſed magni nominis quidam proiecta omni di-
gnitate, eò ſe demiſerunt, vt calumniis ac maledi-
ctis nos inceſſere non erubuerint: Nimirum ne-
ceſſe omnino fuit vocem edere, ne vel patriæ (pro
qua vt bona fortunasq́ue hactenus, ſic & ſangui-
nem porro effundere non dubitem) ſilentiũ meũ
fraudi ſit, vel etiam magnifici illi tot prouinciarũ
regnorumq́; tituli ad Aſiam & Africam vſq; per-
tendentes, eorum perſtringãt oculos, qui opinio-
ne potius quàm rerum veritate ducuntur. Equidẽ
intelligo proſcriptores iſtos meos, multis quidem
aliis, ſed tamẽ duabus potiſſimùm rebus me vin-
cere; nam & hinc fortunæ ſuæ ſplẽdoribus & ma-
gnitudine pugnant, quo conditionem meam lon-
go interuallo poſt ſe relinquunt, & illinc, vt eſt na-
tura omnibus inſitũ, maledictis ac calumniis aurẽ
patefacere: ſæpè enim illud elegantiſſimi Poëta-
rũ laudari memini, Nullum condimentum pala-
to gratius eſſe quàm eſt auribus calumnia; & cõ-
tra, auditu nihil inſuauius quàm propriarum lau-
dum prædicatio: horum, inquam, duorum illud
in quo eſt voluptas, & delectatio, inimici ſibi
ſumpſerũt; quæ verò pars odium habet atq; inui-
diã, eã mihi reliquerunt. Spero tamẽ fretus priſti-
na veſtra in me beneuolentia, neutrum horũ cau-
ſæ noſtræ obfuturum, præſertim cùm & ipſi olim
egregia documenta dederitis, quàm nihil moueat
generoſa pectora, magnifica & illuſtris fortuna,
quæ quidem tyrannide ſit contaminata, & mores
meos

meos vitæque rationem ſciatis, nõ minus ab aliorum inſectatione quàm à mei ipſius prædicatione abhorrere. quod ſi ego alterutrum facturus ſum (quemadmodum fieri vix poteſt quin faciam, tametſi id à me tanta fiet modeſtia, quanta poterit maxima) ac ſi quid dicetur fortè indecentius: veſtrũ erit, viri grauiſſimi, tribuere id ei neceſſitati, quã mihi inimicorũ attulit iniuria potius, quàm naturæ meæ, & à me culpam hanc in illorum importunitatem atque impudentiam reiicere. Voſq; orabo vt memineritis falſo accuſari me tanquam *ingratum, perfidum, hæreticum, hypocritam, Caino ac Iudæ ſimilem, patriæ perturbatorem, rebellem, peregrinum, humani generis hoſtem, Reipub. Chriſtianæ publicam peſtem, proditorem, ſceleratum, adhæc ſicariis omnibus ac veneficis mactandum inſtar pecudis ingenti præmio eſſe propoſitum.* Quas calumnias an confutare poſſim, quin à priſtina vitæ morumque ratione qua nec alios inceſſere, nec de me loqui ipſe conſueui, aliquatenus recedam, vobis iudicandũ relinquo. Intereà ſic mihi perſuaſum eſt de cauſæ meæ bonitate, fide erga vos, atque integritate; ſic porro ſum certus de veſtra æquitate ac candore, deque conſcientiis veſtris, vt quia totam rerũ geſtarum ſeriem iuxtà mecũ tenetis, nihil à vobis petam amplius, quàm vt iudicare modò ac de cauſa iſta cognoſcere, atq; in rem, & ſalutem veſtram ſtatuere id dignemini quod patriæ leges, immunitates ac priuilegia vos iubent: pro ea ſpe quam populus de veſtra ſapientia atque integritate concepit. Quod vt faciatis oro atque obteſtor per ea quæ cariſſima ſanctiſſi-

maque in vita habetis, atque adeò per ſacramen-
tú illud, quo vos veſtramq́; fidẽ Reipub. obſtrin-
xiſtis. Quod ſi fiat, nihil dubito quin vt me pleriſ-
que in rebus aduerſarij ſuperant, ita & illi viciſſim
hac in re tanto à me ſuperentur, quanto illi ad re-
ſcindendas euertendasq́. veſtras leges, immuni-
tates, priuilegia ac libertatẽ, omnes machinas ad-
mouerunt: ego fide optima, ſummaq́ue animi ala-
critate eadem illa ſemper propugnaui, atque ab
omni iniuria defendi. Et quanquam fama atque
exiſtimatio mea adeò mihi inuiſa non eſt, vt ve-
hementer etiam cupiam me measq́; actiones (vti
meruiſſe ſpero) probari omnib⁹ Principibus, Dy-
naſtis ac populis totius orbis, præterquã vni Hi-
ſpanicæ nationi eorumq́ue aſſeclis, quorum abſit
vt vel gratiam ego vel fauorem vel beneuolentiã
vllam affectem, quamdiu quidem ad ſuam tyran-
nidem omnia ſtudent reuocare: etſi inquam pro-
bari me omnibus cupio, tamen cùm ſoli omnium
vos ſitis viri grauiſs. quibus iuriſiurandi religionẽ
debeo, quibus ſolis me obſtrictũ agnoſco, quibus
ſolis poteſtas data eſt actiones meas probandi vel
improbandi; abundè mihi ſatisfactũ arbitrabor, ſi
animi mei, nihil præter publicum bonum atque
vtilitatem ſpectantis, teſtimonium à vobis acce-
pero: feramq́ue æquo animo reliquorum populo-
rum nationumq́;, ſi res ita ferat, ex affectu & mor-
bo, aut (quod certè malim) ex æquo & bono iudi-
cantium ſententiam: quod ita fiet, ſi anticipatis o-
pinionibus animum liberent, & ad titulos & ma-
gna nomina deſinant obſtupeſcere.

Quod ſi aduerſarij mei protinus ad cauſæ arcẽ
ipſam

ipſam acceſſiſſent, & tam crudelis, tam immanis, tamque degeneris proſcriptionis ſuæ rationes ac firmaméta attuliſſent, miſſis & ipſe omnibus ambagibus, ſtatim ab ipſo limine conuulſis eorum fundamentis, cauſæ meæ bonitatem aſtruxiſſem. Sed quoniam in ipſo accuſationis ſuæ aditu, quo mihi odium conflarent, maluerunt conuitiorum plauſtra oculis hominum obiicere, & impudétiſſimas de me calumnias in orationis ſuæ curſu prę- ter rem inſerere: neceſſe omnino eſt atque adeò (vt opinor) ęquiſſimum ad huiuſmodi calumnias me reſpondere, ne tali oratione quidam fortaſſe commoti hanc meam defenſionem alieniore animo accipiant quàm ius gentibus omnibus commune æquitasque publica patiantur.

Quod igitur ad hanc conuitiorum turbam attinet, quibus impudenter laceror, quibusque ex hac proſcriptione ſublatis, nihil reliqui eſt, niſi merus fumus; videte obſecro viri humaniſſimi quàm ſimplex noſtra ſit & ab omni fuco aliena defenſio. Nam ſi talem me cognouiſtis qualé inimici mei prædicant; ſi is eſt animi mei, ſi corporis color, quo libelli huius pictor & ſcriptor (vos enim me iam inde ab adoleſcétia nouiſtis, nec alibi quàm inter vos vitam egi) penicillo ſuo me depinxiſſe ſe prędicat, aures ſtatim veſtras obſtruite; nec verbum quidé ex me audire ſuſtinetote. Sed ſi per totam vitam vir fui melior, ſi integrior, minus auarus, magis continens, quàm infamis huius ſcripti auctores, quàm is ipſe qui hoc promulgauit Princeps Parmenſis eiuſque maiores, quorum pręclara ſcilicet facinora nobilitauit hiſtoria;

ſi iſtis inquam me maioresque meos meliores cognouiſtis (nihil enim adhuc de rege dico) ſic habetote; quemadmodũ primo ſtatim congreſſu calumniis graſſantur : ita in reliquo orationis ſuæ curſu nihilo fore veriores. Nam quò tandem pertinet aceruus ille conuitiorũ, niſi vt omnes intelligant inimicos meos calumniatoriã ac conuiciatoriã probè callere: & quẽ nec veneno nec ferro tollere, nec promiſſis circumuenire, nec vana ſpe illudere (Dei beneficio) potuerunt, eum ſaltẽ virulẽta lingua ab ineũte ætate ad maledicendum inſtructa vulnerare velle.

Beneficia quibus Principem affectum à Carolo Quinto aduerſarius obiectat.

Producitur ſtatim initio longus ordo Beneficiorum quæ in me contulerit Imperator, in cauſa hęreditatis à nobis aditę, quę morte patruelis mei Principis Auraici ad me rediit : quòd me rex aureo vellere ornauit; quòd me Hollandiæ, Zelandiæ, Traiecto ac Burgundiæ præfecit; quòd me in ſecretius Concilium adſciuit.

Accuſatio ingratitudinis.

Quorſum iſta? vt cùm pateat quantum familiæ Hiſpanicæ debeam, ingratitudinis turpiſſimã notam effugere non poſſim. Citatur præterea noſtrum iuſiurandum, & bona quæ iure clientelari poſſidemus; quo doceatur me ipſius commodis ac rebus ſtudere debuiſſe, ac proinde mihi perfidiæ crimen impingatur. Equidem probè mihi cũ rege ac regiis in hoc cõuenit; nihil eo homine deteſtabilius, nihil execratione dignius eſſe aut inueniri poſſe, qui fœdiſſimis his duabus ingratitudinis ac perfidiæ maculis ſit contaminatus: vt qui ingratum ac perfidum dixerit, omnia dixerit: ſed & quanto quiſq; genere eſt nobilior & illuſtrior,

Accuſatio perfidiæ.

tanto

tanto ſi iſtorum conuincitur fit turpior. Et ſi ſum talis, non deprecor quin in omnia omnium odiá incurram, quin è rerum natura ſemel exterminer; denique quin æterna memoriæ meæ apud poſteros inuratur macula. Veruntamẽ hac conditione, vt ſi nullum extare in terris regẽ qui magis fuerit ingratus in tenuis fortunæ Principẽ, quàm is qui me reum agit iamiamq; condemnat, in me meoſque exſtitit, ſi perfidiam eius incredibilem nõ dico in Rempub. ſed in me admiſſam docuero: vt eadem mecum lege teneatur, habeaturque & hac ætate & ſubſequentibus omnibus, talis qualis eſſe conuincetur. Quod ego ſupplicium in eius cauſa non paulò grauius duxero, quàm eſt illud quo me ille tragica ſua proſcriptione mulctare cogitat: quæ me Dei gratia non plus terret quàm phaſma aliquod vel inane ſimulachrum. Primũ illud profiteor, ornatiſſimi viri, memoriam Caroli Quinti, quem honoris cauſſa nomino, honorificam mihi quoad viuam fore, tum propter res præclarè ab eo geſtas, tum quòd me eo beneficio ornarit, vt à cubiculis ſibi eſſe nouem annis voluerit; cui & ego viciſſim fideliſſimè obſequium omne & libentiſſimè præſtiti. Sed ſi is qui inter omnes mortales eius exiſtimationi maximè tenetur conſulere, me ingratitudinis accuſat, quòd beneficia ab Imperatore accepta non agnouerim; peto à vobis vt diluendi turpiſſimi criminis cauſa, hoc mihi concedatis, quò me rei adigit neceſſitas; vt reſpondeam nulla me beneficia ab Imperatore accepiſſe, ſed grauia rei familiaris detrimenta eius ſeruitio paſſum eſſe; quemadmodum planum me facturum

 ſpondeo,

ſpondeo, ſi patienter me bonaq́, cum venia audire non grauabimini.

Confutatio ingratitudinis.

Obiicit ergo aduerſarius, in hæreditate demortui cognati mei, Renati Principis Auraici, fauore & gratia Imperatorem me eſſe proſecutũ. In quo tandem? primum enim nemo vnquam ita ſtolidè temerarius exſtitit qui de hæreditate hac mecum contenderet; vt ſi eam adeundi poteſtatem Imperator mihi non ademerit, quid, obſecro, fecit quod vel inimiciſſimus iudex non fuerat facturus? præſertim cùm nemo adeò fuerit temerarius qui de hac hæreditate mecũ iudicio auſus ſit experiri: Et vt fuiſſet, cùm ea eſſet cauſæ noſtræ bonitas, ea firmitas, quæ nullis artibus obſcurari, nullis machinis labefactari poſſet, ſi ſecundũ me pronunciaſſet Imperator, quid aliud de me eſſet meritus quàm quod ius meum mihi tribuiſſet? nec ademiſſet id quod lex, quod ratio, quod deniq; natura ipſa largiebatur? Ac ſi genus hoc hæreditatis diligentius expendere non pigebit, viri grauiſs. ius meum tale fuiſſe iudicabitis, vt ſine ſumma ac manifeſta iniuria eripere illud mihi non potuerit.

Succeſsio Naſſauia & Cabillonenſis.

Duo erant ſucceſſionis huius hæreditarię capita: Vnũ poſſeſſionum ex familia noſtra Naſſauia profluentium, quibus maiores mei, aui atque atauii, patrui ac poſtremò patruelis ſunt vſi, quęq; in præſentia ipſe poſſideo, in Brabantia, Hollandia ac Luxemburgo: Alterum caput bonorum ex familia Cabillonenſi defluxerat. Quod ad ſucceſſionem Naſſauiam, quam vulgo Bredanam ideò appellant, quòd ſit ditionum mearum quaſi metropolis, quodq́; inibi nos, maioresq; noſtri con-

cilium

cilium nostrum, quæsturam & archiua constanter habemus: quis de his mihi litẽ moueret nisi fortè pater meus qui fuerat patruus Renati, patruelis mei, vnici filij Comitis Hẽrici Nassaui patrui mei? sed tantũ absuit vt me parens hac hęreditate prohiberet, vt in Belgiã venire ipse non sit grauatus, quo mihi in adeunda hæreditate apud Imperatorẽ adiumento foret: nec quisquã inuẽtus est adeò impudens qui se mihi opponeret. præter vnũ præsidem Schoorum, qui in concilio, (vtar enim eius verbis) dicere sustinuit, *Filius hæretici non debet succedere*. Propterea quòd pater meus piæ memoriæ ad exemplum bonorum regum Dauidis, Iosię atq; aliorũ, ecclesias ditionis suæ in Germania reformauerat, & à superstitione ex pręscripto verbi Dei, atque adeò permissu Imperatoris, perpurgauerat. Nec hoc tamẽ deterruit Conciliũ quo minus ex æquo & bono sententiã diceret; sed nec potuit quidẽ aliter. nã & auũculus meus Comes Kungstainius, quanquã etiã Protestãs, hęreditatẽ tamen Comitis Rocheforti obtinuit. Etsi igitur res controuersa esset (si controuersia est appellanda, quæ intra sępta familiæ nostræ consistebat, siue hęreditas illa patri siue filio fuisset adiudicata) tamen præter nos nemo lege poterat hæreditatem eam sibi vendicare.

Quod ad familiam Cabillonensem, non possum (opinor) obstrictus videri Imperatori propter eos Baronatus quibus securè fruor, tam in Ducatu Burgundiæ quàm in Delphinatu Viennensi; quibus in locis non plus habebat imperij Carolus, quàm ego; quippe quibus imperitaret Galliarum

Baronatus Burgundiæ & in Delphinatu.

rum

rum rex, qui bello inter monarchas orto, pariter & illi comitatum Charlottensem, & mihi Baronatus meos adimebat: vt hoc etiam nomine nihil ei debeam, nisi fortè quatenus fœdere Suessonico mei ab eo habita fuit ratio; quod profectò officiũ præterire non potuit, si manibus cognati mei deesse nollet, qui paulò antè eadem expeditioñe ante pedes Imperatoris in obsidione San-Desiriana post tot tantáque præclarè edita facinora occubuit. Multò etiam minus gratiæ præstare mihi potuit in Principatu meo Auraico, in quo nec ipse, nec quisquã alius Princeps, ius sibi potest vendicare, cũ totus ille principatus, quod (absit verbo inuidia) paucis aliis contingit proceribus, purè & absolutè meæ sit iurisdictionis: Nec est Princeps vllus, cuius mihi gratia ad hunc quidẽ principatũ retinendum sit opus, præterquam Regis Galliarũ, qui tenuis, & alioqui deuoti sibi Principis bona, vti certò scio, non continget; vel quòd ratio æqui & boni hoc postulat; vel quòd memoria tenet, quantis suis laboribus, sumptibus, vitæ periculis, maiores mei regno Galliæ & ducatui Britannico (vnde & hæreditatem & genus traxit) fidelem operam impenderint.

Principatus Auraicus.

Bona in comitatu Burgundiaco.

Reliqua est igitur ea possessio quam habeo in Comitatu Burgundię: qua per summam iniuriam & tyrannidem tanto iam tempore spolior, cuiusque damnum facile est duorum millionum. Sed illud primum in memoriam reuocari velim, quæ causa sit cur Comitatus Burgundiacus francus siue liber appelletur: nimirum quòd inter alia ea quoque est immunitas ac libertas dominorũ, qui in

in eo Comitatu possessiones habēt, vt de bonis ac facultatibus suis statuant, eáque legent, quo modo, & quibus videatur, vsque eò vt nec vxores, nec liberi, nec hæredes quicunque, possint intercedere, quo minus de fortunis suis suo statuāt arbitratu. Quandoquidem igitur Princeps Renatus, vel hac vna de causa, quod ita voluit, rationē mei habuit; qui tum infans admodū sub disciplina præceptorū ac pædagogorum habitus, ætatē in Germania degebam; vnum hoc spectans, quòd ei patruelis eram, hæredem me (quod lege ac consuetudine illius regionis poterat) ex asse scripsit: certè si cui gratiam, huic vni piæ memoriæ principi debeo; qui cùm esset familiæ nostræ princeps & primogenitus, voluit mihi, vt primogenituræ relinquebat mihi dignitatem, sic & cernendæ adeundæque hæreditatis ius à se relinquere. Nondum igitur video quo modo huius successionis nomine Hispanicæ familiæ vel tantillum debeam; nec est mortalium quisquam qui id verè possit affirmare.

Sed permisit Renato Cæsar, vt cui vellet, bona sua testamento legaret; atque ex vi eius potestatis, hæredem me nominauit. Hoc verò etiam pro me facit, tantum abest vt aduersariorum causam iuuet: Nam cùm potestatem hanc Renato Imperator faceret, nesciebat videlicet quē Princeps scripturus esset; ac ne scitum est quidem ab vllo mortalium, prius quàm defuncto Renato testamentū præsente Regina Maria fuit resignatum. Quare cùm Imperator diploma illud suum indulserit, nō eo animo vt mihi benefaceret, ne me quidem debere *Permissio.*

bere ei quicquam hoc nomine intelligo: quandoquidem in hac gratia, principi facta (quam tamen quiuis licet infimæ sortis haud difficulter ordinariis literis cancellariatus impetrat) nulla mei ratio habita est. Nã iudicium de diplomate ex euentu qui fecerit, peccarit certè contra regulam illã, toties ab Imperatore nobis audientibus vsurpatam, qua monebat, consilia non ex euentis, sed ex caussis examinanda, probanda aut improbanda esse. Sed faciamus nullã intercessisse Imperatoris gratiam: nihil tamen à Principe testatum fuit, quod non ei leges atque consuetudines (vti dictum est) concesserint.

Testamentum militare.

Sed quid sint responsuri miror, cùm præter ea quæ modò sunt allegata etiam illud addam, testamentum hoc Principis Renati, testamentum militare esse? (quod neque infringere neque vnquam poterunt obscurare) & quidem solenniter ac deliberatò conditum, subnixum inquam hoc consilio quod disertis verbis testamento exprimitur; videlicet quia non ignarus quę essent belli discrimina, edoctus scilicet tot expeditionibus quas Cæsaris antea nomine suscepisset, iamiamque proficisceretur in militiam, grauem ac periculosam, qualis expectanda esset, ex Francisco monarcha potentissimo. Et quanquam iuris scientiam mihi nõ vendico, me tamen audire memini complures viros doctos coram patre differentes, cùm hoc argumentum tractarent, eam esse ex legibus Imperatoriis vim ac auctoritatem, non tantùm testamentorum militarium, verùm etiam codicillorũ, vt si miles ante mortem vel minimam voluntatis

suæ

ſuæ ſignificationem dediſſet, puta, ſi nomen eius quem hæredem voluiſſet inſtituere vel ſanguine ſuo ſcuto illeuiſſet, vel haſtilis aut cuiuſuis teli cuſpide terræ inaraſſet, extremam hanc voluntatem ratam inuiolatamque habendã, & cuiuis ſtatuto præferendam, iuxta antiqua priuilegia eorum qui ornantur balteo militari. Quanto iuſtius debebatur hoc priuilegium, tã excelſi animi Principi, iuxtà ac militi generoſo, cuius extrema voluntas, non leui aliquo ſigno, ſed teſtamento accuratiſſimo declaratur, non feſtinatò, nec à gregario milite moribundo, ſed à clariſſimo fortiſſimoque Principe, per otium de conſilij ſui ſententia, expeditioné ingreſſo & iamiam in procinctu conſcripto; qui non alienum, ſed ſobrinum; non importunum adulatorem, ſed doli expertem puerũ, & qui longiſſimè abeſſet à caſtris San-Deſirium obſidere, & Pariſios vſque pertendere cogitantibus, bonorum ſuorum hæredem ſcriberet; & ita ſcriberet, vt Imperatoris diplomate, hæredi ſuo caueret, & legibus patriis teſtamentum defenderet. Quis igitur hæreditatem hanc mihi tam firmam, tã munitam de manibus, non dico extorſiſſet, ſed omnino lité de ea mouiſſet; niſi fortè vim facturus fuerat Imperator; quæ res fortaſſe rebus ipſius plus detrimenti quàm emolumenti erat allatura. Et quemadmodum inter maiores meos nõ defuerunt, qui à principibus quibuſdam recuperandi iuris ſui rationem inuenerunt, ita & mihi ſpero Deum adfuturum aduerſus eum, qui vt me per iniuriam bonis ſpoliauit, ſic vitam & ſanguinem crudeliſſimè petit. Sed quæro ex iſtis (ventilanda

landa enim adhuc ſucceſſionis huius eſt quæſtio) an Imperator cũ me hęreditate hac paſſus eſt frui, de ſuo quicquam largitus ſit, necne? Nam ſi nihil accepi qnod non fuerit Principis Renati, non video quo modo mihi exprobrari poſſit beneficiũ, quod vel Rex vel Imperator in me contulerit: niſi fortè largitio rerum alienarum liberalitas eſt appellanda.

Quin contra (vt nihil hic attingam, iniuriam mihi factam, eodem illo in Comitatu, in quo & pluribus & vberrimis fructibus & præeminentiis ſum ſpoliatus, cuius cauſæ tractationem in illud tempus reiicio, cùm ab armis præſidium iuri meo petiero, quod ab eius impetrare nequeo iniuſtitia qui mea per vim mihi detinet) vix iam hæreditatem adieram, cùm ſtatim exutus ſum ditione mea Caſtrobelina: cuius ditionis fructus, ex quo ea carui, trecentorum & eo amplius millium florenorum eſt. Iam ſummum iniuriarum videte. Petebat à Cæſare parens meus, vt ex iure ſaltẽ in hæreditatis à cognato mihi relictæ poſſeſſionem reſtituerer. negauit; vnum hoc conceſſit (cùm tamen ea fuiſſem ſpoliatus) vt lege agerem: in quo certè hæreditate me non planè excluſit, cũ perſequendi iuris mei (nam in curia Mechlinienſi cauſa agebatur) contra ſe poteſtatem fecit. At filius qui mihi (ſi Deo placet) beneficia obiectat, vbi videt in eo rem eſſe, vt de cauſa iudex eſſet pronuntiaturus, eo ipſo die quo de lite pronuntiandum erat, ſententiis iudicũ in codicem iam relatis (nam & ipſe admonitus fueram honoraria iudicum parare) (videte viri grauiſs. videte quæ fuerit in admi-

Ditio Caſtrobelina.

niſtranda

niſtranda iuſtitia ſeueritas eius, qui ſe eam inuiolatam habiturum & mihi & cæteris Belgiæ Baronibus iurauerat) Edicit iudicibus ne pronuntiẽt; litemque vti adhuc eſt, ſuſpẽdi iubet. En beneficia, en prærogatiuas quibus auctus ſum à familia Hiſpanica; en exprobrationum fundamenta; en baſim qua infamis illa proſcriptio nititur.

At ſi vice verſa narrare incipiam, quot modis domus Hiſpanica maioribus noſtris (vt de me nihil loquar) ſit obligata; bone Deus, quàm vaſtum & quàm immenſum mare ſe mihi aperit vnde nõ facilis futura ſit regreſſio! Quare contentus ſumma tantùm attigiſſe capita, vobis viri grauiſs. eorũ beneficiorum accuratiorem cognitionem, ex hiſtoriis & annalibus Belgij petendam relinquo.

Qui primus ex familia Auſtriaca in Belgium venit, multis pòſt annis quàm maiores mei Comitatus ac Baronatus indidẽ habuerunt, is Maximilianus Imperator fuit; tum Archidux Auſtriæ. Quis igitur neſcit Comitem Engelbertum propatruum meum, eum eſſe qui Maximilianum hunc Imperatorem opibus, vita, ingenio, ſuſtentarit, atque conſeruarit? Non Comes Engelbertus ille eſt, qui cũ Domino Romontio ex prœlio Guinegaſtano victoriam reportauit? cùm diſſipato equitatu noſtro, virtute ſua peditem in acie retinuiſſet? ſicque immenſæ illæ Ludouici vndecimi victoriæ veluti fræno coërcitæ, atque in poſterum res Maximiliani in tuto tranquilloque fuerũt collocatæ? Non is eſt qui poſt captiuitatem è Galliis rediens, cùm offendiſſet Maximiliani res in Flandria ex diſſenſionibus quæ ipſi cum Domino de

Dominus Engelbertus Comes Naſſauius.

Raueſtain ac Brugenſibus inciderant, implicatas turbatasq́ue partim armis, partim conſilio explicuit? effecitq́ue vt pax coiret; vt Archidux iterum firmaretur, vtq́ue pacta Brugenſibus ſeruarentur: quarum rerum illuſtria etiamnum hodie monumenta exſtant, cum egregiæ ſuæ erga Principē fidei, tum ciuitatis Brugenſis in ipſum gratitudinis. Hic ille eſt Engelbertus, qui Rheno finitimos rebellantes domuit, qui trans Moſam regiones Cæſari pacatas reddidit. Vt interim taceā, quàm multa & periculoſa itinera, eiuſdē Cæſaris cauſa ſuſceperit; veluti cùm in Armoricam Britanniam eſt profectus, ad procurandum nuptias eiuſdem Archiducis cum Domina Anna hærede Ducatus, & poſtea bis Galliæ regina; quod ſuum negotium dextrè tractando, eò deduxerat, vt de matrimonio planè conueniret; coiiſſentq́ue tædæ nuptiales, niſi Ioannes Princeps Auraicus Philiberti pater illud euertiſſet: tranſlatis eiuſdem Annæ ſobrinæ ſuæ nuptiis, ad Carolum Regem Galliarū. deniq; fuerunt ea Engelberti noſtri in hanc Rempub. merita, ea virtus, vt vniuerſo Belgio abſente Carolo Duce legatus præficeretur.

Engelbertus vniuerſo Belgio præfectus iam inde à Caroli ducis temporibus.

Huius porro Engelberti ſucceſſor, & hęres bonorum quę in Belgio habuit, fuit Comes Ioannes Naſſauius, eius frater, meus auus: quo mortuo, Comes Henricus, meus patruus, filius natu maximus dicti Comitis Ioannis, ſucceſſit hæres bonorum in inferiori Germania ſitorum, puta in Brabantia, Luxemburgo, Hollandia & Flandria: Pater verò meus, Comes Willelmus, eorum quæ in Germania poſſederat. Nemo negare poteſt nullū

Henricus Comes Naſſauius.

eius

eius ætatis exſtitiſſe Procerũ, qui plus laboris pro Caroli dignitate ſuſceperit, quàm ipſe. Nam vt ea prætercam, quæ nimis ſunt nota; vnum hoc tacere non poſſum, huncillum eſſe qui diadema Imperiale, Caroli capiti impoſuit. Etenim cùm per ætatem & abſentiam (erat enim tum in Hiſpaniis Carolus) ambire imperium ipſe non poſſet; perſuaſit Electoribus, vt prærerito competitore Franciſco illo Galliarum rege, Carolum Imperatorem facerent. Et quoniam his Imperij gradibus (quod omnes norunt) ad tantum rerum ſuarum aſcendit faſtigium, negari certè nõ poteſt, quin & hoc Comiti acceptum ſit referendum. Quæ cùm ita ſint, proferant ſi poſſunt gratitudinis ſuæ vel minimũ argumentum; proferant inquam, vel vnicum beneficium ab Hiſpanica familia in noſtram collatum! Videre eſt plurimis in locis huiuſce noſtri Belgij tormenta bellica, Hungaricis ſignata imaginibus, quæ maioribus meis Rex Hungariæ virtutis ergô dono dedit, proq. monumento eſſe voluit, operæ inſigniter ſibi contra Turcam nauatæ; quorum pars ab Albano per tyrannidem (vt omnia) ex arce noſtra Bredana ablata, pars relicta eſt: quod ideò à me cõmemoratur, vt intelligant omnes; quàm diu exſtabunt illæ machinæ, tã diu monumenta virtutis maiorum meorum, & illuſtriſſima teſtimonia regis Hungariæ ſuperfutura. Sed quemadmodum maiores mei ex virtute ſua ſunt nobilitati, ita Deo bene iuuante rem ſuam familiarem adeò non neglexerũt, vt à principibus harum regionum egeſtati ſuæ præſidium petere cogerentur: ſed nec gratuitum donum vllum acce-

perunt: Et tamen procuratum Imperij diadema, gratiam ni fallor aliquam merebatur. Fateor successione Cabıllonensi & Principatus Auraici magnam familiæ nostræ accessioné esse factam. Sed si cui debemus, magno illi regi Francisco debemus: qui patruo meo in matrimonium dedit sororem Principis Philiberti, Principis Ioannis filiam, collactaneam Reginæ Annæ, quæ socrus erat dicti regis; cuius Annæ illa fuerat cognata. Atque hìc videte mihi humanitatem principis singularem. Cæsar Carolus, laboribus patrui mei imperium est adeptus; Rex Franciscus qui non ignoraret quid pro cōpetitore suo fecisset meus patruus, non dubitat Principem illam in matrimonium ei collocare; ad quam probabile erat fratris sui Philiberti hæreditatem aliquando redituram; quippe didicerat se infenso in eum nō esse debere animo qui eas partes constanter sequeretur, quibus se semel adiunxisset. Vt mihi verè de eo dicere liceat, quod & testantur historiæ, Principem illum fuisse generosi pectoris & liberalis. Et quanquā Renati memoriæ tribuisset aliquid Imperator, & in condédo testamento priuilegij aliquid ac potestatis extraordinariæ fecisset; quæso tam fortis Princeps, tamque strenuus, qui de ipso ita erat meritus, qui suis armis non tantùm infelicis prœlij à Cesarianis cōmissi, damna reparauerat, verùm etiam Ducatum Gueldriæ recuperauerat, qui postremò pro dignitate Cæsaris ante eius pedes occubuerat: an tot, inquam, memorabilibus officiis tantuli beneficij gratia condignum præmium videri potest accepisse?

Princeps Renatus.

Quid

Quid dicam de Principe Philiberto, qui solus ipsi Longobardiam quæsiuit, qui regnum Neapolitanum, qui cum Borbonio Romam ipsius potestatis fecit, Pontificem captiuum stitit, qui deniq; eum omni dignitate, potentia, felicitate cumulauit? Et adhuc audebit filius, talium Principũ memoriæ obiectare, Imperatorẽ ipsorum patrueli ac successori iustitiã administrasse? Quod si sanè domus Nassauia non extitisset, si Auraicũ nomen tot belli trophæa nõ erexisset, priusquã rex in lucẽ ederetur: næ ille tot regnorũ ac prouinciarũ titulos, quos infami isti suæ proscriptioni præfigeret, non habuisset; in qua me proditorẽ ac sceleratũ (quod à familia nostra semper absuit & porrò absfuturũ spero) impudentissimè criminatur. Sed illud mihi respondeãt, cuius iussu Cardinalis Granuellanus venenũ porrexerit Maximiliano Imperatori eius nominis secundo, cùm adhuc Rex Bohemię esset. Scio quid is super ea re mihi dixerit; quòd post illa tempora Regem & Hispanos ita exhorruerit, vt ausus non fuerit religionem quam puriorem esse animus ipsi testabatur, publicè profiteri. *Princeps Philibertus.*

Pergit porrò, ac dicit, se continuis honorũ gradibus nos auxisse: primùm cùm me in numerum equitum aurei velleris adsciuit, deinde cùm præfectura Hollandię, Zelandiæ, Traiecti & Burgundiæ ornauit, tũ quòd me inter arcani cõcilij proceres adscripsit; postremò quòd magnis honoribus ac beneficiis affecit. Quod de beneficiis dicit, nulla equidẽ agnosco, nisi fortè beneficia sunt appellãda, ingentes illi sumptus, quos pro Imperatore ac rege sustinui. Nã qui ea ętate vixerũt, sub rege pręsertim, *Exprobratio beneficiorum & honorũ ab rege Hispaniarum in Principem collatorum.*

ſertim, meminiſſe poſſunt, quãta tũ tẽporis in aula fuerit nobilitatis frequentia, cũ variarũ nationũ tum Germanorum: quorum pars facilè maxima, quòd domus mea (vti omnes norunt) nulli nõ patêret, menſa mea quotidie vtebatur, tolerabamq́. aulæ ſumptus ſanè nõ mediocres, propter ἀταξίαν familiæ regiæ. Sciunt etiam omnes, quàm grandes ac penè incredibiles fecerim expenſas, in ea legatione, qua, inuito ac retractãte animo, quemadmodum Imperatori ac Reginæ Hungaricæ liberè profitebar, coactus ſum Imperij coronam Ferdinando deferre. Rem profectò animo meo grauiſſimam; quòd coronam Caroli Cæſaris vertici à maioribus meis impoſitam, ab eiuſdem capite detractam, aliò cogerer transferre. Pòſt, miſſus ſum in Galliam, obſidum vnus exequẽdæ pacis cauſa Caſtro-Cambreſij confectæ; quæ mihi legatio etiam infinitos ſumptus attulit: ſic vt confirmare poſſim, me trib⁹ his capitibus, ſi eos ſumptus addideris, quos feci poſterioribus expeditionibus, nominatim ad Philippopolim & Carolomõtium vbi exercitui præfui, rem meã minuiſſe, decies quinquies centenis millibus florenorum: nec tamen (quod ipſum teſtari poteſt camera ſupputationum) vel teruntium pro his vnquam recepi: quin etiam cùm exercitui legatus Cæſaris nomine præeſſem, non plus trecentis florenis menſtrui ſtipendij in vniuerſum accepi; quod ne ſoluendis quidem calonibus meis ſufficeret. At contrà ſi adhuc in viuis eſſet Regina Hungariȩ, recordaretur eius ſat ſcio, quod tum mihi dicebat, cùm Imperator difficillimis, ac vt nunquam aliâs, maximè

ximè dubiis rebus ſuis, hinc illuſtriſſimorū Principum Mauricij & Willelmi Landtgrauij, illinc regis Galliarum armis preſſus, pacem fecit Paſſàuienſem, maximo cum familiæ noſtræ intertrimento, quæ Imperium quod ei antè pepererat, ingentibus ſuis damnis ac impēdiis tum conſeruauit. Nam cùm frequentiſſimo Imperij conuentu, Imperator ex ſolio ſublimis, de ſententia principum electorum, ſecundum nos pronuntiaſſet, adiudicauiſſetq; Comitatum de Catzenellenbogen cum plus quàm duobus millionibus florenorum reliquis, pacē tamen noſtro damno pepigit, reſtitutis in poſſeſſionē Comitatus pace illa Paſſauiēſi aduerſariis: nec id dico, refricādæ litis cauſa, de qua poſtea tranſactum eſt inter noſtram & illuſtriſſimam Principis Landtgrauij familiā; cui nos vt ſanguine coniuncti, ita & addicti deditiq́ue ſumus: ſed vt intelligant omnes quanta beneficia à domo Hiſpanica acceperimus; & iudicent vtrum nos, an illi potius ingratitudinis ſint damnandi. *Pax Paſſauienſis.*

Nec iam primùm viri clariſſ. his artibus deludimur: nam cùm Princeps Renatus familiæ noſtræ id temporis caput, bellum Cliuenſe fortiter exequeretur, promiſit Imperator nunquam ſe cum duce compoſiturum, niſi nos in trientem ditionis Iuliacenſis venire pateretur; quæ nobis hæreditate obtigit Comitis Ioannis Naſſauij proaui mei, & Margaretę Comitis Iuliacenſis, & de la Marck: attamen victor tranſegit vt voluit, oblitus victoriam hanc, ſudoribus & rebus geſtis principis cognati mei emptam eſſe. *Pax cum duce Cliuenſi.*

Quod ad honores; nunquam diffitebor, (quod *Honores.*

& initio ſum profeſſus,) magnis me à Cæſare honoribus fuiſſe affectum, qui me educarit, & à cubiculis ſibi eſſe voluerit nouem continuos annos, & duobus primis militiæ meæ tyrociniis vniuerſo equitatui ordinario harum regionum præfecerit. Et quanquam primum & vigeſimum annum nondum etiam attigiſſem, atque adeò à curia abeſſem; tamen cùm Sabaudiæ dux profectionem quandam ſuſcepiſſet, Imperator me copiis ſuis omnibus præpoſuit: tametſi conſiliarij, ipſaque adeò regina, cõplures ingenij ſimul & belli gloria conſpicuos, proponerent: in quibus erant Comites de Bouſſu, de Lalaing, Martinus van Roſſem equites veterani, præterea Comites d'Arenberg, de Meghen, & Egmondanus qui duodecim annis ætate me anteibat. Et quanquam ob adoleſcentiam (vt poſtea Imperatori ſignificabãt) à nemine fueram nominatus; placuit tamẽ Cæſari me eligere, propter eas cauſas quas tum adferebat, quasque mihi poſtea Regina Hungariæ cùm hoc oneris nobis pro auctoritate imponeret, ſignificabat: de quibus in præſentia tacere malo, ne magnificè de me loquendo iactantior merito videri poſſim. Dicam amplius, placuiſſe Imperatori nos è caſtris reuocare, cũ vobis ornatiſs. Domini ſententiam ſuam aperiret, de transferendo ad filium regno: quam rem quòd abſente me exequi noluerit, equidẽ honore me affectum ſentio, quemadmodum & in eo cùm propter valetudinem innixus meis humeris, in celeberrimum illum veſtrũ conuentum ſe dedit; quod pleriq; omnes ad honorem meum in primis pertinere interpretabantur.

Princeps dux exercitus creatus vigeſimo primo anno ætatis ſuæ.

tur. Demus etiam ſi placet, alios mihi exinde honores abs rege ipſo tributos: non video tamen in beneficiis eſſe numerandos, cùm contra ius & æquum atque adeò iuſiurandum ſuum eos mihi eripere ſit conatus.

Nam, quod ad dignitatem aurei velleris attinet; ſi Imperator atque ordo ille nobis eſt ſuffragatus, in hoc certè nō plus Imperatori quàm cuiuis reliquorum equitū debeo; cùm nefas illi fuerit ratum non habere quod collegium illud decreuiſſet: quemadmodum neſcius non eſt, nouiſſima illa ſolennitate in Belgio habita, complures fuiſſe ſuffragiorum multitudine contra ſententiam ac voluntatem ſuam in hunc ordinem à nobis & lectos & receptos. Sed vt ei hoc nomine aliquid debeam; tantum tamen abeſt vt id mihi obiectare poſſit, vt hoc ordine ipſemet exciderit. Iurauit, & legibus illius ordinis ſancitum eſt, equites aurei velleris ab ordinis ſui collegis iudicari oportere. Itaque Philippus cognomento Bonus, adigere nunquam potuit Ioannem Luxemburgicum, vt renunciaret iuriiurando Anglorum regi præſtito, prouocante Ioanne Luxemburgico ad ordinem illum velleris aurei. At quos collegas Comitibus Egmondano, & Hornio, Marchioni Bergenſi & Domino de Montigny pro iudicibus rex dedit? nimirum quiſquilias rabularum forenſium, nihili atque infimæ ſortis homines; à quibus me etiam contra omnem formam iuris damnandum curauit; quemadmodum olim ſum conteſtatus, atque irritam me habere ſententiam declaraui, propoſitis vt dicunt nullitatibus. Itaq; cùm iuriſiurandi

Priuilegia ordinis equeſtris.

piuorb Registrau:

religionem violarit, leges amplissimi illius ordinis infregerit, audiendus omnino non est in illis suis exprobrationibus, in quibus violati ab eo sacramenti fœdissimæ notæ exstant impressę. Denique, si cui pro illo ordine, præfecturis, proque aliis honoribus ac dignitatibus debeo; is profectò est Imperator, qui prius quàm è Belgio decederet, sic fieri voluit, sic decreuit, credo qui perspęctam haberet, cum in exequendis cęteris eius mandatis fidem nostram atque alacritatem, tum in ducendo eius exercitu diligentem industriam; quòd cùm castra Domini de Neuers & demortui Domini Castillonij Galliæ admiraldi (qui quantus aduersarius fuerit res postea ab eo gestæ declarant) opposita castris nostris habuissem, nullam tamen de me victoriam retulissent, nec prohibere potuissent quin in eorum conspectu duas arces Philippopolim & Carolomontium exædificarem, idque grauiss. peste nostrum affligtante exercitum.

Præfectura Burgundiæ.

De præfectura Burgundiaca, illud confirmare possim, nunquam inde me emolumenti quicquam accepisse, cùm etiam maiores mei hæreditarium illius prouinciæ gubernandæ ius perpetuò sibi vēdicarint. & quidē Domina Philiberta Luxemburgica, quo tempore Princeps Philibertus eius filius esset in Italia, conuentus ordinū Burgundiæ habuit, intra ciuitatem nostram de Nozeroi: cumque id nonnullis minus probaretur, quòd ea nostra ciuitas in finibus esset sita Comitatus Burgundiæ, respōdit velle se tueri possessionem dominorum familiæ Cabillonensis, qui essent gubernatores hæreditarij Comitatus Burgundiæ.

gundiæ. Vt vt eſt, quæ in me fecit rex, ſatis ſuperque oſtendunt, non poſſe eum mihi exprobrare ſuos in me collatos honores, quos contra omnem rationem honoris, vnà cum vita ac bonis eripere ſtuduit; qui ex me natum filium contra omnia iura diuina atque humana, atque adeò contra Belgij priuilegia quibus ſe feſto (vti vocant) introitu iureiurando obligauit, raptum in Hiſpaniam curauit deportandum.

IAM, quòd in Concilium ſecretius ſum receptus, ſatis apertè oſtendi in ea Apologia quæ à me eſt edita anno ſexageſimo ſeptimo; Cardinalem, atque alios quoſdam, machinatos vt in collegium illud adſciſcerer, quo auctoritatẽ meã apud populum ſuis actionibus prætexerẽt; in quo cùm non ſpectarent meum commodum, ſed ſuũ, iniuria (opinor) hoc mihi beneficium exprobrant. Quod ſi ſpe ſua ſunt fruſtrati, aut ſuo id ſtupori tribuant, qui negocium ſuum minus dextrè tractarint, aut quod eſt verius, (neque enim ingeniũ ipſis defuit) tanta fuit eorum malitia, vt cùm omnium oculis videretur, ac manibus (penè dicam) palparetur, & ferri iam diutius non poſſet; tanquã teterrimæ belluæ ac publicę peſtes his regionibus ſint exacti. *Conſiliarius ſtatus.*

Sed quoniam non tantùm in meũ caput graſſantur, ingratitudinis ac perfidiæ accuſando, verùm etiam vt furor ac rabies omnes promiſcuè, nocentem iuxtà ac innocentem, dente virulento petit; non puduit eos coniugis noſtræ exiſtimationem petulantiſſimè vulnerare, dum maculã ſtudẽt inurere poſtremo noſtro matrimonio: neſcio *De poſtremo Principis matrimonio.*

ſapien-

ſapientiſſimos iſtos viros, & vt de ſeſe iactitāt ſcitiſſimos pictores, impudentiæ ne magis an ſtuporis damnandos putem, qui nō didicerint id quod vel tyrunculis eſt notum, *Carere debere omni vitio qui in alium paratus ſit dicere.* Quid enim impudentius? quid ſtultius? quàm ſi norint ſua flagitia, per ſpinas ac tribulos ſuos tanquam per roſas incedere? Aut ſi ne nouerint quidem, quæ cæcitas? quis ſtupor? non videre ea quæ ſeſe in diem oculis ſpectanda offerunt? verſatur quotidie ante eorum oculos, rex inceſtuoſus, dimidiato gradu Ioui proximus Iunonis & viro & fratri: & mihi audent obiectare coniugium honeſtum, legitimum, ſanctum, ex præſcripto & ritu eccleſiæ Dei contractū atque celebratum? Atque hic rurſum orandi mihi eſtis humaniſs. Domini, ne me maledicendi libidine (à qua plurimùm ſemper abfui) inflammatū ad retegendum deteſtabiles iſtas vomicas, & cauterio inductā iſtorum conſcientiam omniū oculis exponendam veniſſe exiſtimetis: ſed iſtorum tribuatis perditiſſimis furoribus, qui ſe Dei atque hominum & totius nominis Chriſtiani, & ſeorſum veſtros hoſtes & aduerſarios conſtituerunt, quibusq; nulla alia tam capitalis in me odij cauſa eſt, quàm quòd intelligunt quę mea fuerit in conſeruandis vobis ſollicitudo, fides, diligentia. Qui igitur neptem ſuam in vxorem duxit, matrimoniū meum mihi exprobrare audet? matrimonium inquam legitimè atq; ex conſtitutione diuina contractum? qui vt incæſtas nuptias faceret, vxorem ſuam, eandemq́ue filiam ac ſororē regum Galliæ, crudeliſſimè necauit; vt audio in Galliis haberi deſcripta

Parricidium in reginam Hiſpaniæ admiſſum.

deſcripta teſtimonia: vxorem inquam legitimam, duarum filiarũ matrem: quæ quoniã regni Hiſpanici iuſtiſſimæ ſunt hæredes, non dubito quin ſi Gallus priſtinæ virtuti ſuæ conſtare volet, quemadmodum olim Caſtiliæ regnum, eiecto tyranno quamuis legitimo, ſpurio cuidam dedit, à quo genus ſuum Philippus hic traxit, ſic tradere veris his hæredibus poſſit; niſi fortè iuſtus ille iudex Deus, qui huiuſmodi ſcelera impunita non ſinit, ipſe de eo dum adhuc viuit vindictam ſumpſerit, eumq; regno quo vel ob hunc vnum incæſtum cum parricidio coniunctum pelli merebatur, diſpoliarit. Sed habuit diſpenſationẽ: à quo? à Pontifice Romano, orbis terrarum Deo. Credo equidem, neq; enim cælorum Deus vnquã indulſiſſet. At, quod huius cœnocęleſtis diſpenſationis fundamentum fuit? quòd tam nobile regnum, abſque hærede relinquendum non fuit: En, cur ad priora crimina nefarium adiectum eſt parricidium; pater eſt crudeliſſimè necans hæredem filiũ, vt Pontifici ſternatur via ad diſpenſationem incæſtus, tam execrandi, tam Deo hominibusq; deteſtandi. Quòd ſi igitur dixerimus nos recuſare imperium regis incæſtuoſi, cõiugis pariter, & filij parricidiis contaminati; quis eſt qui hoc poſſit reprehendere? Quàm multi reges, regno pulſi, eiectiq; ſunt, qui tanta ſcelera in ſe non admiſerunt? Nam quod ad Carolum; an non Dominus ac princeps noſter futurus erat, etſi pater necandi filij iuſtam cauſam habere ſibi videbatur, non oportuit nos potius de cauſa cognoſcere, quorum res tãtopere agebatur, quàm tres aut quatuor monachos & inquiſitores Hiſpa-

Parricidium in Principem Hiſpaniæ admiſſum.

Hiſpanos? Sed fortaſſe conſcientia eius non tulit vt hæredem eum relinqueret, quem ſciret ex illegitimo thoro eſſe ſuſceptum; nam quo tempore ſe finxit ambire coniugiú filię regis Luſitanię, Caroli matris, vxorem habuit Domnam Iſabellam Oſoriam, ex qua binos quoque aut ternos ſuſcepit liberos, quorum priori Domno Pedro, poſteriori Domno Bernardino nomen eſt; cuius coniugij locuples teſtis eſſe poſſet (ſi viueret) Rigomes Princeps de Yuoli, matrimonij illius pronubus; qua re & in aula ſummam auctoritatem & in Hiſpania ampliſſimas facultates inuenit, quas iam ingrati homines à vidua tanquam è ſpongia expreſſas recipiunt. Quòd ſi ita ſanctè ſe geſſit in ſimulato illo Luſitaniæ matrimonio; in hoc quod cum filia regis Galliæ contraxit, inuentus non eſt religioſior: nam præter parricidium in vxorem patratum, etiam alio flagitioſiſſimo adulterio nobilitatum iſtud fuit. Quippe conſuetudinem ſtupri cum Domna Eufraſia domi ſuæ familiariter habuit; quam cùm ex ſe ſenſiſſet grauidã obtruſit Principi d'Aſcoli, eam'que vt domú duceret coëgit. At miſer princeps, interiectis aliquot menſibus, ex dolore mortuus eſt, cùm prohibere non poſſet quin in hæreditatem ſuam veniret ex alieno concubitu natus ſpurius. Qui auté veriora narrant, affirmant eum bolum accepiſſe, deglutitu quàm concoctu faciliorem. Et obiectare nobis matrimonium noſtrum audet, qui tribus huiuſmodi matrimoniis tanquam triplici flagitiorum corona, redimitus, ter inquam, ter talis maritus exſtitit.

Matrimoniũ regis Hiſpaniæ cum Domna Iſabella Oſoria.

Adulteriũ cum Domna Eufraſia.

Sed ne ſit hunc ad modum ſanè cõtaminatus, (quando alieno crimine non bene excuſes tuum) ſit inquam per me innocens: non vereor tamẽ ne quid mihi meritò poſſit obiicere: nec feci quidquam (Deo ſit gratia) niſi conſultò, & ex ſententia complurium honoratiſs. iuxtà ac prudentiſs. virorum. Nec eſt quod ſe interponat alioqui rei ad ſe nihil pertinenti, cuiuſque ei rationẽ non teneor reddere. Nam ad demortuam vxorem meã quod attinet, ea contingebat genere, Principes tũ illuſtriſs. loco natos, tum honoratiſſimos ac prudentiſs, quibus abundè ſatisfactum eſſe ſatis certò ſcio. Et ſi argumentum hoc latius perſequi libeat, haud difficile mihi fuerit ipſi oſtendere, eum vel à ſapientiſsimis ſuis doctoribus condemnari. At præſens noſtrum matrimonium quod ſpectat, quamlibet prætexant zelum traditionum Romanarum, nunquam tamen cuiquam probabunt ſe illius eccleſiæ eſſe ſtudioſiores, quàm ſit Dominus de Montpenſier Dominus meus ſocer, qui non religionem eam profitetur, quo modo Cardinalis Granuellanus & eius generis homines, ſed vt ei dictat conſcientia; & tamẽ omnibus ritè perpenſis, auditiſque ſuper hac re, compluriũ è Parlamento Pariſienſi in Pictauienſi conuentu ſententiis, nec non epiſcoporum ac doctorum; intellexit id quod res eſt, non ſolùm etiamſi votum ab vxore mea factum eſſet, nullũ id iure videri, quia imbecilli ætate conceptum erat, contra canones & conſtitutiones Galliæ, contraque ſentẽtias ac præiudicia Curiarum ſummarum, atque adeò contra canones Concilij Tridentini, cui nihil nõ

tribuit

tribuit aduersarius: sed ne votum quidem vllũ intercessisse; quin multas contra protestationes esse factas, quemadmodũ ex idoneis quæstionibus ea de re habitis, etiã in absentia vxoris meæ est compertum. Et quanquam nihil horum foret; non tamen adeò sum alienus à sacrarum literarum cognitione, vt nesciam humanarum constitutionũ nexus, quibus miseras implicant conscientias, coram Deo nõ obligare. Nec religionẽ nobis affert, quod aiunt, vt id concedatur nostræ conditionis Proceri, à Pontifice tamẽ dispensationem petendam fuisse. Diu enim est, gratia Deo, cùm intelligo quid nundinæ illæ dispensationum Romanarum valeant: tantumque abest vt ab eo causæ nostræ præsidium petam, qui mihi hactenus quantũ in ipso fuit nocuit; vt in spem veniam, fore, vt quemadmodum bonus ille pastor, & mihi & bonis omnibus quantum potest nocet, sic Deo bene iuuante, mystico eius regno quod in spelunca illa sua Romana fabricauit, fatales machinas sim admoturus; quibus disturbetur tyrannis illa quam in vniuersum orbem terrarum olim vsurpauit; in tantum, vt reges ac monarchas osculari suos pedes coëgerit, atque adeò (prô facinus) proculcare Imperatorem Barbarossam non reformidarit.

Principem non esse peregrinũ. Obiicitur nobis præterea quòd *peregrini sumus*; quasi Princeps Parmensis magnus aliquis sit patriota, qui nec in Belgio natus est, nec quicquam suum habet in quo pedem ponat, aut quod omnino sibi vendicet: & tamen malè sanis quibusdam tanquam mancipiis, imperiosus dominus pro libidine moderatur. Sed quo modo tandem

dem interpretantur nomen illud peregrini? nimirum vt ſit is qui extra regiones has natus ſit; hac quidem definitione, iuxtà mecum peregrinus erit aduerſarius: eſt enim natus in Hiſpania huic regioni naturaliter infeſta; at ego in Germania ſum editus, huic regioni à natura amiciſſima. At rex eſt inquit. Sed ego regium illud nomen nõ agnoſco. Sit rex in Caſtillia, ſit in Aragonia, ſit Neapoli, ſit in Indiis, poſtremò ſit vbicunque pro libidine dominatur: ſit etiã ſi volet Hieroſolymis, ſit in Aſia, ſit in Africa; in his quidem certè regionibus non agnoſco, niſi Ducem & Comitem, cuius poteſtas priuilegiis noſtris tanquam limitibus certis circumſcripta eſt; vt teſtari poteſt feſtus ille (qui vocatur) Introitus, quo ſolenni iureiurando confirmauit, ſe leges noſtras ſartas tectas habiturum. De me autem, illud certò conſtat, nos maioresq́; noſtros, à quibus recta per mares linea originem ducimus, ducenis iam retro annis, cœpiſſe poſſidere Comitatus & Baronatus in ditionibus Luxemburgi, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ: nam circiter annum milleſimum tricenteſimum & quadrageſimum Comes Ottho, à quo ſeptimus ſum nepos, & hæres primogenius, in vxorem duxerat Comitem de Vianden; qui Comitatus, à familia noſtra non diſceſſit, & quietè eo ſemper vſi ſumus, quoad eum rex per vim mihi abſtulit. Poſt ea Comes Engelbertus, primogenitus filij Otthonis in matrimonio ſibi copulauit Dominam de Leck & Breda, à quo nepotum ſum quintus, recta deducta per mares linea. Et me quiſquã peregrinum audet appellare? Taceo latifundia quę Dei

genealogia

benignitate in Burgundia habeo. At, vos prouoco prudẽtiss. Domini, qui leges nostras habetis perspectissimas, vestrum sit iudicium, quæ fuerit maiorum nostrorum post hominum memoriam hac in re cõsuetudo, an Domini de Rauestain, de Luxemburg, de S. Paul, de Neuers, d'Estampes, & si qui alij, Comitatus ac Baronatus in hiscc habent regionibus, pro peregrinis sunt habiti? & à vobis etiamnum pro indigenis habeãtur quotquot huiuscemodi feuda possident; modò huius regionis partes sequi non recusent; & quidem nónne ea de re leges inter nos disertas expressasq; habemus tũ in Brabãtia, tum alibi? Nam quòd ad titulos Ducis Brabantiæ, Comitis Flandriæ & alios quos habet, etsi fateor magnas esse dignitates; tamẽ si vel ipsum vel Hispanos fortè latet, discant vel ex me, Brabantiæ Barones, coniunctos cum melioribus regionis ciuitatibus, si-quando Brabantiæ Duces exorbitantes superbiùs se gessissent, in ordinẽ ab illis & maximè à Brabantiæ ordinibus coactos fuisse. Constat igitur, me ea prosapia esse oriundum, quæ continuis aliquot ætatibus, præcipuos Baronatus ac potentatus in Brabantia, Flandria, Hollandia & Luxẽburgo possederint. Sed quantum ab officio suo Philippus recesserit; & iam felicibus sanè auspiciis, eum docere ordines cœperunt, &, vt spero, vsqueadeò alta in eum huius lectionis imprimentvestigia, vt calamitosi Siculi, Calabri, Insubres, Aragonenses & Castilliani exemplo nostro excitati discant superbissimum Dominum è rerum natura esse exterminandum. Atq; adeò ipsi Granatenses, quamuis graui iugo pressi,
colla

colla tamen ſint erecturi, contra importuniſsimũ tyrannum, qui bello Mauritanico, in carcerẽ compingi iuſsit centum plus minus mercatores, eius ciuitatis incolas, & quidem omnes Chriſtianos, è quibus nemo fuit cuius bona ad minus nõ eſſent quinquaginta millium Ducatorum: Deinde per tumultum popularem trucidandos curauit; cæſorum pecunia in ærarium ſuum relata. Poſtremò docebunt eum Belgij ordines (vti ſpero) auxiliante numine, quo modo excipiendus ſit is qui ſacramenti religionem in fauſto illo introitu pręſtitam violauit.

Sed ſi perſequendum hoc argumentum, atque altius repetenda memoria eſt eorum temporum, quibus maiores mei non tantùm his regionibus oriundi, verùm etiam amplas poſſeſsiones, titulos ac dignitates indidem habuerunt; illud aſſeuerabo, quo tempore maiores eius, Comites Haſburgenſes fuerunt, ſedesq́ue ſuas in Heluetia habuerunt, meos multis retrò annis Ducatum Gelrię tenuiſſe; vnde adhuc videre eſt Duces Geldrię, inſignia familiæ Naſſauiæ in clypeis ſuis gerere: nec verò obiter ditionem illam tenuimus, ſed ex quo filiam ac hæredem tutoris aut regentis (his enim titulis Geldriæ dominos appellabãt) Comes Ottho in matrimonium ſibi ſumpſit; quod accidit anno milleſimo trigeſimo nono, vſq; ad annũ milleſimũ trecenteſimũ quinquageſimũ: tã longainquam temporum ſerie, maiores mei & fuerũt Domini, & Comites & Duces Geldriæ; quẽadmodum non pauca monumenta teſtantur: tantumq́ue abeſt vt qui me peregrinum dictitat, hu-

Comites Naſſauiæ, Comites & Duces Geldriæ ab anno 1039. vſq; ad annum 1350.

iuſmodi argumenta generis ortusq́; ſui, ex his re-
gionibus poſsit oſtendere, vt ſtirps eius in Belgio
tum penitus ignota fuerit.

Et quoniam narrationem orditur contexere,
non minus falſam quàm ſtolidam atque ridicu-
lam, quæ (vt vult ipſe) complectatur ordinẽ rerũ à
me geſtarum; volo & ipſe, quia pleroſq; veſtrum
ſciam, quo tempore primùm iſta gerebantur, vel
ætate ea fuiſſe, vt quid ageretur minus poſſetis in-
telligere, vel quia ad Rempub. nondum acceſſe-
ratis, non ſatis potuiſſe animaduertere, quibus ar-
tibus illa tractarentur à Cardinaliſtis, & conſilio
Belgæ habiti pro ſubditis ac mancipiis Hiſpanorum.
ex Hiſpania miſſo, qui dominari hiſce regioni-
bus ſemper in animo habuerũt, quemadmodũ cę-
teris Imperij ſui prouinciis, cùm ſe Dominos ha-
rum regionum, nos mancipia ſua eſſe ſemper du-
xerint. Volo inquam humanitati veſtrę exponere,
quas vias rationesq́; ſequuta ſint infauſta iſta in-
genia, quæ reliquos mortales omnes, pecudes præ
ſe putant, quæq́; nos eò diſcriminis adduxerũt, vt
ab exitio & miſerabili ſeruitute minimũ abfueri-
mus; niſi Deus pro immenſa ſua miſericordia ac
bonitate, pro nobis excubaſſet, turbatiſque nefa-
riis eorũ cõſiliis è cruentiſsimis illis faucibus nos
eripuiſſet. Atque hic iterum neceſſe mihi eſt à vo-
bis petere viri ornatiſs. vt quemadmodum hacte-
nus patienter dicentem audiuiſtis, ita porrò audi-
re dignemini: neque enim dubito, quin vt pleriq;
veſtrum, aut omnes actiones meas, aut certè me-
liorem partem vel ipſi vidiſtis, vel à patribus ve-
ſtris aut bonorum virorum teſtimonio accepiſtis,
ita ſi me porrò audiatis, intellecturi ſitis orationẽ
meam,

meam, non minus esse veram, quàm aduersariorũ falsam ac impudentem. Nihil hic eorum referam quæ sub Carolo quinto vidi; non quin Hispanos senserim plurima iam tum moliri, quæ mihi neutiquam placebant, eoque morbum serpere animaduerterim, vt violento quopiam remedio, perniciosissimi humoris Hispanici carthartico, Belgio nostro aliquando foret opus: Verùm, quia per ætatem, ac rerum imperitiam, nondum penitus penitusque profundam eorum malitiam inspicerẽ; suspicari profectò non potui, carcinomati huic, sectionibus, vstionibusque medendum fore. Sed ex quo vnà cũ ætate iudicium nobis accreuit, longè diuersa nostra fuit sententia, ab his qui Hispanicam rabiem eò serpere posse non putabant: nihil enim accidit quod ego qui eorum crudelitatẽ, auaritiam, superbiam, etiam in singulis rebus perspectissimam haberem, non certò exploratoque multo antè obseruauerim. Ea igitur tempora prætereo, quæ ne conferenda quidem sunt, cum ea tyrannide quam postea sub eius filio Philippo perpessi sumus; non quòd id temporis Hispani humaniores fuerint; nimis enim manifesta superbiæ ac crudelitatis non ferendæ documenta dederãt, tum apud Indos, tum apud reliquos populos quibus licẽter ac sine lege imperitabant: sed Imperatoris amor erga hasce regiones, & beneuolentia quasi manu iniecta retinebat impetum ambitionis eorum atque superbiæ. Accedebat illud præterea, quòd regio hæc abundabat copia fortissimorum ac generosissimorum heroum, priscæ illius virtutis exempla referentium (qui vtinam si-

Ingenia Hispanorum semper crudelia, sed C. Quinti prudentia ad tempus coërcita.

bi similes filios genuissent) virtutis suæ repagulis Hispanam ferociam atque insolentiã retundentium. Veniam igitur ad subsequẽtia tempora, vel ob id quòd qui hæres bonorum Caroli ac nõ virtutum est relictus, is ille est, qui me oppugnatum venit, Barbara quadam ac plus quàm tyrannica agendi ratione.

Carolus piæ memoriæ, & Maria Regina, cùm viderent bello Germanico, iungente Galliarũ rege copias cũ principibus aliquot Germaniæ primi nominis, longè alium esse rerum suarũ euentum, quàm Pontifex & Hispani promisissent: necessarium sibi duxit Imperator cum hoste transigere; quippe eo loco res eius erant, vt desperans conseruari posse regiones suas, decreuerit abdicato regno & ditionibus omnibus ad filium translatis, in Hispaniam proficisci, atque ibi reliquum vitæ, in otio priuatus degere.

Imperator ad filium regnum transfert.

Porrò autẽ Rex Philippus, quanquã pro conditione regni, ac nominatim Belgij nostri, opus habebat (quod & mandatum à patre disertis verbis acceperat) subditos beneuolentia sibi adiungere; quandoquidem tota regio, atque adeò regis existimatio, ex illorum pẽderet opibus ac fide: tamen, siue quòd in Hispaniis sic erat eductus, siue quòd peruersis eorum cõsiliis vtebatur, quorum adhuc in potestate est; vnum illud animo semper agitabat, quo modo vos in seruitutem redigeret meram, & absolutam, quam illi suo nomine *integram obedientiam* appellabant; quo sublatis antiquis vestris priuilegiis, ac immunitatibus, vobis, coniugibus, liberisque vestris arbitratu suo abute-

abuteretur; quemadmodum eius miniſtri calamitoſiſſimis Indis, aut certè quo modo Calabris, Siculis, Neapolitanis & Mediolanẽſibus dominantur, obliti regiones iſtas non bello partas, ſed bona ex parte hæreditate relictas, aut ſaltem certis legibus maioribus ſuis traditas. quæque adeò patri ſuo Carolo atque auo Philippo prima initia propagandi eius Imperij fuerunt, quo videmus Domum Auſtriacam tantam euaſiſſe, vt citra controuerſiam, familia ſit nominis Chriſtiani facilè potentiſſima. Atque hic eius animus, nimis quàm maturè mox ab Imperatoris diſceſſu ſeſe aperuit, quemadmodum eius ætatis nobiles viri teſtari poſſent, ſi vita fruerentur. Nam ſimul ac inter eũ & regem Galliæ bellum recruduit, ſi Reipub. huic noſtræ vel tantillum cupiuiſſet, nónne conueniebat eum, vel quòd tam potẽtem hoſtem haberet, vel quòd tam ſalutariter eũ pater monuiſſet, ſubditorum ſuorum beneuolentiam retinuiſſe? Sed tanta tyrannidis libido eum inuaſerat, vt in mediis rerum ſuarum fluctibus nimis nimiſque maleuolentiam ſuam declararit. Imperator qui ſuperbiam crudelitatemq́ue Hiſpanicam vt nemo alius mortalium, ac fortaſſis etiam ingenium filij ſui noſſet, vieiſſimq́ue non ignoraret quid Rempub. noſtram aut perdere aut cõſeruare poſſet, regem filium ſeriò admonet, fore, vt niſi faſtum ſuperbiamq́ue illam Hiſpanicam deponat, Belgij ſtatum breui ſubuerſum videat; neque enim tam inſolentem dominationem Belgas diu toleraturos eſſe: Atq; hanc orationem Imperator habuit, præſente Comite de Boſſu patre eius qui nuperrimè

Regis animus ſemper huic regioni infeſtus.

Conſiliũ Imperatoris filio regi datum.

mè diſceſſit: interfui & ipſe, & alij nonnulli viri nobiliores, quorũ pars aliqua adhuc ſupereſt. Sed nec paterna auctoritas, nec rerum ſuarum vtilitas, nec iuſtitia, nec (quæ apud Barbaros etiam valuit) iuriſiurandi religio libidinem illam ſuam, per tyrannidem nobis dominandi, reſtinguere potuerunt; ſed perinde ac ſi leges, priuilegia, libertatem, ius, æquum bonumque, diuina humana omnia, infra ſe poſita haberet, perruptis ſemel repagulis, odio atque crudelitati fræna laxauit.

Subſidium nouennale.

Eo ipſo tempore rem eius iuuiſtis, ornatiſſimi Domini, ſubſidio illo pecuniario quod appellabatur Nouennale; quo ſubſidio ac prudenti adminiſtratione nobilitatis noſtræ, tum etiam virtute militis Germani, res ei ita pulchrè proceſſerũt, vt factis duobus ſecundis prœliis, captis aliquot vrbibus, & ex prima nobilitate Gallica nõ paucis, glorioſus victor ad accipiendas iniquas pacis conditiones hoſtem ſuum coëgerit: &, ſi mihi fas eſt de me loqui, infitiari profectò non poteſt (ſi tantillũ modò gratitudinis in eo ſuperſit) quin conficiendæ pacis organum ei fuerim facilè præcipuum; qui cum Dominis Conneſtablio de Montmoranci & Mariſchallo Diui Andreæ priuatim, remotiſque teſtibus egerim, cùm à me id rex contendiſſet, & aſſeueraret nullum me ei officiũ nec maius nec gratius facere poſſe, quàm ſi pacẽ qualibuſcunque conditionibus (propterea quòd in Hiſpaniã omnino cogitabat) ſibi conficerem. Iam verò, tantùm abeſt vt vel ipſe, vel conſilium eius, ex Hiſpanis & aliquot noſtratibus conflatũ, quibus vos, libertas veſtra, ac priuilegia ſemper inui-

ſa atque exoſa fuerunt, tam memorabilis pecuniarij ſubſidij tamq́; felicis ſucceſſus gratiam vllã vobis habuerint: vt contrà iudicarint, ſubſidium illud, crimen eſſe imminutæ maieſtatis, cuiuſque rei cauſa ad vnũ omnes, ſed nominatim demortuus Dominus de Lalain, ſupplicio affici merueritis. Cur ita tandem? quia de ſubſidio illo, in ſuffragia, niſi pleno conuentu ordinum generalium, ituros eſſe vos negauiſtis; quodq́ue harpyiis illis, Barlemontio dico & eius ſimilibus, vngues præcidere voluiſtis, cùm pecuniam illam, pactis conditionibus, per quæſtores veſtros diſtribuendam decreuiſtis. En verò duo crimina capitalia; quorum prius eſt, poſtulatio conuentuum ordinum, qui quia valet ad refrænandã coërcendamq́ue tyrannidem, videlicet crimen eſt, non minus exoſum tyrãnis plebivoris, ſubditorũq́. hoſtibus, quàm conuẽtus ille ordinũ nobiliſſimus, firmiſſimũ Reipub. vinculum, certiſſimũ principis pręſidium, bonis regibus, veris populi paſtoribus, & patriæ patribus, carus, honoratus, ſacer ſanctusq́; habetur. Alterum crimẽ, tale eſt, vt nunquam remittatur; nam plebis iſti decoctores & helluones, qui ſe viſceribus ac ſanguine miſeræ multitudinis paſcunt, ſic de furtis ſuis iam olim ſtatuerunt, ſic ſibi perſuadent, vt peculatum illum ſuum, reditũ eſſe ducant, non minus quidem certum, firmumq́ue, ſed multò fructuoſiorem, quàm quẽ ex prædiis, fundis, ac villis ſuis percipiunt, diſſimulataq́ue vera mali cauſa quam principes ſuos celant, prætextus quærunt, palpandoq́ue & mentiendo principũ animos cõtra ſubditos inflammant. Vi-

Demortuus Comes de Lalain morti ab Hiſpano deuotus cum omnibus ordinibus.

di ego, ornatiſſimi viri, eorum geſtus; audiui ſermones, interfui etiam eorũ ſententiis, quibus vos capitis ad vnum omnes damnabant, cùm nõ pluris vos facerent, quàm pecudes; ſi quidem trucidandi veſtri poteſtatẽ habuiſſent, qualem in miſeros Indos exercent, vbi plus quàm vicies centenas myriades hominum crudeliſſimè necarunt; ac trigeſies plus terræ deuaſtarunt, quàm patent inferiores noſtræ regiones; idq́ue tam portentoſa crudelitate, vt omnes omnium temporum crudelitates, ac tyrãnides, de quibus aut audiuimus aut legimus, luſus iocusq́; ſint, præ illorum in Indos immanitate: quemadmodũ editis ea de re libris, ipſorum-met epiſcopi ac doctores, teſtatum reliquerunt: ac, ne locus vllus excuſationis regi apud Deum hominesq́ue ſupereſſet, dicata eſt ei hiſtoria à quodam ſuo ſubdito cui aliquid iuſtitiæ adhuc reſtabat. Iam inde ergo ab illis tẽporibus, ornatiſſimi viri, ego reliquiq; mei ordinis proceres, cum meliore & prudentiore parte nobilitatis, & plebis, decreuimus, vt Hiſpanus finibus noſtris excederet, arbitrati tametſi corrupti ſanguinis aliquid in corpore noſtro reſtaret, (quemadmodum eius ſupereſſe plus videmus quàm ſit opus, ſerpẽte ab infectiſſimis patribus, miniſtris ambitionis Hiſpanicæ & negociationis Cardinalitiæ ad filios contagione) fore tamen vt melior præcipuæ nobilitatis pars, Hiſpanæ tyrannidis inimicos ſe profiterentur: Sed partim incidẽtibus occupationibus, partim legatione noſtra in Galliam, quò cum aliis quibuſdam proceribus obſides ſumus miſſi; partim procurando coniugio filiæ regis Galliæ, nego-

tium fuit interruptum, nec decretum nostrum executioni est mandatum. Iam verò, tantùm abest vt magnam partem eorum quę mihi obiecta sunt, infitias ire velim, vt etiam ea ad honorem meum existimem nõ mediocriter pertinere; & plura vobis fortassis aperiam quàm norunt inimici mei: quantóque in me acrius inuehentur, atq; odium suum contra has regiones aperient, tantò gaudebo impensiùs, Deoq́, gratias agam, quòd me voluerit eadem opera, & immanis ipsorum tyrannidis neruos incidere, & puriorem religionem promouere.

Dicunt me, *statim vt rex pedem regionibus his extulisset, si quem ære alieno grauatum, Legibus ac publicæ tranquillitati inimicum, nouarum rerum studiosum, & maximè si quem religionis suspectum cognouissem, eius animum malis artibus ac technis delinire ac cõciliare mihi studuisse.* Quod ad eos attinet qui religionis gustum ac cognitionem habebãt, fateor me iis nunquam malè voluisse. Nam qui iam inde ab incunabulis in ea essem educatus, quamq́ue pater perpurgatis ditionis suæ Ecclesiis ad mortem vsque constanter esset professus; quis miretur doctrinã hanc sic animo meo fuisse impressam atque eas egisse radices, quę suo tempore suos ferret fructus? Nam tametsi quia multis annis in cubiculo Imperatoris essem educatus, & ex quo per ætatem arma ferre poteram, magnis statim rebus atq; adeò ducendis exercitibus essem implicitus; etsi inquã ob has causas, & quia in religione parum alioqui feliciter educabamur, arma potius, venatum & id genus exercitia nobilis iuuentæ, animo agitabam; quàm

Animus principis erga religionis professores.

quàm quod ad animæ ſaluté pertineret: magna tamen Deo gratia debetur, qui ſanctum illud ſemen quod pro benignitate ſua in me ſeuerat, ſuffocari atque immori paſſus non ſit: Addo etiam, nunquã placuiſſe mihi, nimis, prò dolor, vſitatam illã crudelitatem ſuppliciorum, qua igne, ferro, aqua vulgò ſęuitum eſt in religionis profeſſores, quemadmodum eos infamis huius proſcriptionis auctor ipſus nominat: qui cùm in hac ſua proſcriptione veritatis paſſim ſit parciſſimus, hac tamẽ in parte, bene & verè dixit, cùm iis quos condemnat, religionis nomen tribuit; quemadmodú reuera ij ſoli appellationem hanc per excellentiam merentur, quam vocem veritas, cuius vis multò eſt maxima, vel ab inuito expreſſit. Sed quo tempore eram in Galliis, & rex Hẽricus ipſe mihi ſuis verbis exponeret, Ducem Albanum conſilia agitare, de extirpandis è Gallia, Belgia, & toto orbe Chriſtiano quotquot religionis eſſent ſuſpecti; idemq́ue rex ille (arbitratus me cui pacis ineundę auctoritatem datam, & alias res maximi ponderis creditas videret, illarum itidem eſſe partium) intima regis Hiſpaniarum ac Ducis Albani conſilia aperiret, atque ego (vt regis de me opinionem tuerer, quã imminutum iri videbam, ſi quid me cælatum rex ſenſiſſet) ita reſpondiſſem vt cùm me ſecretorum participem rex putaret, fusè copioſeq́ue mecum diſſereret, ex quo totam rationem conſiliorú inquiſitionis Hiſpanæ facilè intelligerem: fateor me cùm hæc audirem, eo dolore fuiſſe percitú, ea miſericordia commotum erga tam infinitam multitudinem innocentiſſimorum hominú, quos morti de-

Conſilium regis Hiſpaniarũ & Albani de exterminandis Euangelicis, cõmunicatum regi Galliæ, & abs rege Principi.

ti deuotos videbam; & maximè erga haſce regiones, quibus tot nominibus erã deuinctus, in quã, inquiſitionem ipſa Hiſpanica crudeliorem inuehere niterentur, imò caſſes tenderent quibus nobilitatem iuxtà ac plebẽ implicarent, vt quos Hiſpani eorumque aſſeclæ aliis artibus circumuenire nequiuiſſent, his plagis irretitos caperẽt, è quibus ſe expedire nullo modo potuiſſent; cùm ſi vel obliquis oculis ſimulachrũ aſpexiſſes, ſat cauſæ fuerit futurum, quamobrem viuus cremareris. Cùm hæc inquam audirem, fateor me tum ſedulò agere cœpiſſe, vt peſtis illa Hiſpanica regionibus hiſce eiiceretur; nec me adeò facti pœnitet, vt exiſtimem me meoſque collegas omnes, quotquot pulcherrimum hoc facinus mecum ſunt aggreſſi, gloriam meruiſſe immortalem; cuique ad ſummum cumulum nihil addi potuiſſet, ſi quemadmodum eiiciendi eos rationem inueneramus, ſic reditus illis ſpem omnem intercluſiſſemus. Dicam amplius viri grauiſſimi, nec recuſo, quin conſiliũ Hiſpanicum, atq; adeò totus orbis intelligat, ſi ordinis equeſtris collegę mei, & concilium Status, conſilia mecũ iungere maluiſſent, quàm animas ſuas viles habere atque Hiſpano proiicere, nõ fortunis modò, ſed corporibus noſtris reditum Albano & Hiſpanis in Belgium intercluſiſſemus: quin et hoc ex me cognoſcant velim, bonam iam nunc Belgij partem, ſic ab eorum ſordibus perpurgatam eſſe, vt ne veſtigium quidem vllum (pręter oſſa) ſuperſit: nec ceſſaturũ me Deo & vobis (vti planè confido) bene ſtrenueque iuuantibus, donec ſentinã hanc è reliquo Belgio ſemel exhauſtã videro, do-

Conatus nobilitatis depellendis à Belgio Hiſpanis.

nec

nec inquam vltra Pyrenęos, vnà cum factione sua repulsi, ad suos bellum, turbas, cladem'que transferant; nobis otium, pacem, libertatem corporum & conscientiarum relinquant. Falluntur igitur, qui me arbitrantur, negotium hoc tum demũ suscepisse postquam regiones hasce reliquerunt: nã tum maximè id agebam cùm in Gallia cum rege venarer, & Hispani adhuc in Belgio essent; nec instare desij vt mihi liceret fide mea in Belgium reuerti, donec intercessu piæ memoriæ Dominæ, Dominæ de Sabaudia, abs rege id impetrassem, ea lege vt sacris Francisci secundi Remos reuerterer: cumq; huc venissem, sollicitaui animos non decoctorum & obæratorum, sed bonorum virorum & qui principem locum in hac Repub. tenerent, eo fine, vt pro ordinibus postularent, cogi Hispanum regionibus hisce decedere: quod & accidit, & recordari possunt inimici mei, qui fuerint boni illi atque honorati viri, qui euangelium illud ipsis nuntiarent, cuius meminisse non possunt, vt non simul calumnias suas agnoscant.

Libelli supplices à nobilitate oblati.

Sed quòd me dicunt caput atque auctorẽ fuisse offerendi supplicis illius libelli; dicam quod res est: Cùm viderem malum eò excreuisse, vt nõ iam ignibus tantùm sæuiretur in miseros homines, qui se vstulari patiebantur, sed murmur etiam & offensionem audirẽ pleræque nobilitatis & è plebe primorum; veritus periculosum aliquẽ euentũ (nam & Galliam iisdem ex causis ardentem bellis ciuilibus modò videram) & cauere cupiẽs ne hoc nostrũ Belgiũ in similem morbum incideret, cuius symptomata vt sunt periculosissima, sic curatu ple-

ru plerunque difficiliora sunt quàm morbus ipse (vt prô dolor nimis iã in nostra causa experimur) Cùm hæc inquam viderem, non potui quin pro fide sacramenti quo me Belgio obligaram, peterẽ ab equestris ordinis collegis meis & præcipuis secretioris cõcilij senatoribus, vt Hoochstratã conuenire vellẽt, eo consilio, vt ipsis aperirem eò discriminis deductam Rempub. vt belli ciuilis discrimen immineret: cui rei vnicum esset remediũ, si nos qui pro ratione honorum ac dignitatũ summam de Repub. constituendi auctoritatem habebamus, negotium capesseremus, eiq́ue medicinam eam faceremus, quam è Repub. maximè fore arbitraremur; summaq́ue cura caueremus ne mancipia Cardinalitia, quæ præter sanguinẽ, exilia, proscriptiones bonorum, breuiter vulnera, ac cædes nihil spirarent, manum negotio admouerent, sine quo declinari interitus Reipub. nõ posset; sin autem, non defore iis quos iam diuturnæ istius vstulationis pigeret, ducem, qui prohibere eam niteretur. Et quanquam vt eos in sententiam nostram traherẽ, multa sanè in medium afferrẽ, adiiceremq́; ad eam amicitiam quæ nobis intercederet inter nos, sententiam leuiri mei Comitis Schwartzenburgi, & Domini Georgij van Hol; quorum apud nobilitatem nostram, summa tum erat auctoritas, ob memorabilia illorum in Rempub. merita: nihil tamẽ impetrare potui; nec aliud conuentu illo est actum, quàm quòd testatum orbi terrarum fecerim, me cùm multo antè malum hoc quo nunc conflictamur præuidissem, anticipandi eius auertendiq́ue remedia quæsiuisse. Sed ij quos

ij quos modò dixi persequutionem illam nō probasse, quiq; quoad illæ stetissent, crederent quietā esse Rempub. non posse (quod in tali negotio fieri solet) res nouas moliri cœperunt; quas ego pro ratione officij mei detegendas mihi ducebam. Itaque cùm animus mihi dictaret euasuram rem in aliquod magnum malum, nec leuioribus remediis, nec magis legitimis occurri posse; fateor mihi non displicuisse libellos illos supplices offerri: quod adeò non dissimulo, vt ad existimationem meam cumprimis facere, & illustre putem testimonium fidei atq; officij mei tum erga regem, tū erga Rempub. Nā si sapientissimis illis regiis consiliariis ea mens fuisset, vt petitioni illi concessissent, tot profectò mala insequuta non essent, quibus prope absuit vt tota Respub. deflagraret. Sed si veram & proximam causam libelli illius supplicis, et eorum quę consequuta sunt, scire desiderāt, tribuant insatiabili suæ crudelitati, cui parum esse visus est edictorum ille rigor, nisi ad exemplum stolidi Roboami, ex sententia inconsultissimæ feminæ, & Cardinalis cuiuspiam mancipij papalis, & horum similium, dicerent: Pater vos cecîdit scutica, filius vos cędet scorpionibus. Itaque mox cœptum est modis omnibus promoueri negotiū, de recipiendis passim episcopis, qui paulo antè creati fuerant; hoc est admittendis totidem carnificibus, qui proculcatis omnibus priuilegiis comburerent miseros Christianos. Et per quem? nimirum per feminam affectibus suis seruientem, & interim larua potestatis regiæ proditionibus, periuriis, ac dolis Cardinalitiis armatam. En incudē

Ducissa & Cardinalis auctores omnium in Belgia malorum.

in qua fabricatũ eſt quidquid mali poſtea eſt inſequutum; videlicet quòd iuſtis libelli illius ſupplicis à nobilitate oblati, petitionibus concedere (vti res poſtulabat) noluerunt: in quo me ſcio viri ornatiſs. & Deum & vos teſtari poſſum, neque in exiſtimationem meam neque in iuſiurandũ quicquam admiſiſſe, ſed Duciſſam & Curiam certiorẽ feci & ingentia illa mala denuntiaui, quæ pòſt ſunt inſequuta; vt meritò illis imputari omnia debeant. Nam tantũ abeſt vt auſcultare mihi voluerint, vt exiſtimarint commodam ſe nactos occaſionem, materiamq́ue exequendi ea quæ multo antè animo agitarant; vt cùm è medio ſuſtuliſſent omnes quotquot religionis eſſent ſuſpecti, reliquos in miſeram atque intolerandam redigerent ſeruitutem. Nec à me tantùm, ſed à pleriſque aliis hæc illis ſæpius ſunt denũtiata, & publicè & priuatim, à viris bonis, & honeſtis, patriæ huius, & regis (plus quàm ipſe merebatur) ſtudioſis; & quidem loco & tempore impendẽs periculum ſignificabant; meminiſſetq́ue orabant quod eſſet regis officiũ, quę iuriſiurandi vis ac religio; quibus conditionibus & ipſe & ante eum maiores ſui in Dominos harum regionum eſſent aſciti. Quin & ipſe Comes Egmondanus, in Hiſpaniã eſt legatus, qui regi iſta corã exponeret: ſed his omnibus non modò nihil eſt profectum, vt idem iſte Comes, regis promiſſis deceptus, (quæ res ei magno poſtea ſtetit) literas retulerit, ex diametro contrarias, iis quæ rex verbis ei mandarat: vt confiteri ſit coactus, me ante profectionem ſuam, quid futurũ eſſet pręuidiſſe. Et nobis oculos (ſi Deo placet) etiã

perſtringēt iſti Machiauelliſtæ ſpecioſis iſtis verborum laruis, fidelitatis, integritatis, & ingenitæ clementiæ, qui nos iureiurando vt pueros talis ludificari & id genus heroïbus verba dare non dubitant. Audiſtis ergo auctores, promotores & architectos turbarum quæ ex primis illis ſupplicibus libellis ſunt ortę: audiſtis etiã cuiuſmodi conſilia ipſe dederim.

De Comite Ludouico Naſſauio.

Quod dicunt de Comite Ludouico piæ memoriæ fratre meo; rectius fecerint ſi fortiſſimi illius viri cineres non mouerint, quandoquidē nimio fuit vir melior, & Chriſtianæ pietatis ſtudioſior quàm vel ſomniare illi poſſunt: nec plus ſanè miror quòd eum appellant hæreticũ, quàm Chriſtus fecit, cùm ab horum ſimillimis Samaritanus nominaretur. Quod ad conciones publicas, quas illi ſuo nomine hęreticas appellãt, ſatis cõſtat à quo & quomodo introductę fuerint: Illud certũ eſt, eam tum meam non fuiſſe auctoritatē, vt ſententiam rogarer, ſed nec ſuaſi vnquam; tamē cùm in eum locum res eſſet deducta, fateor Duciſſæ Parmenſi me conſuluiſſe vt quod libello ſupplice rogaretur, concederet: in quo ſi malè cõſului, ſaltē quæ exinde ſequuta ſunt ſatis declarãt, quàm bene rem Domini ſui procurarunt, qui meum conſilium repudiarunt: ſimulque abundè patefecit Deus, quòd quanquam ad tempus affligi ſuos patiatur, nunquam tamen huiuſcemodi periuria, qualia ſunt Regis & Duciſſæ Parmēſis, impunita relinquat; vt intelligant omnes, non fruſtra dictũ eſſe, Non inſontem eum habitum iri, qui ſumpſerit nomen eius in vanum.

Conuentus publici euangelicorum.

Quod

Quod ad Iconomachos & reliquã illã ἀταξίαν, credo viri ornatiſs. neminẽ veſtrũ eſſe, qui neſciat huiuſcemodi agendi rationes adeò mihi nunquã placuiſſe, vt hoc nomine ab iis ipſis quos à me ſtare conueniebat, immeritiſſimè ſim laceratus; quia nunquam ſim paſſus huiuſcemodi res fieri abſque magiſtratus auctoritate. *Iconomachiâ.*

Sed nec meliore cauſa iactant *me vigilantia & prouidentia Ducìſſæ Parmẽſis coactum fuiſſe ſolum Belgicum vertere.* Dicerent fortaſſis aliquid ſi eiuſdem dolos ac periuria allegarent: ſi cõmemorarent fluctuantes animos & nimiam credulitatem eorum qui carnificem expectarunt, & nimis vehementem illum mei & aliorum quorundam procerũ in regẽ amorem, qui Marchioni Bergenſi & Montigneo, auctores eramus in Hiſpaniã proficiſcendi: arbitrati regem vel ipſorũ meritis, vel generis nobilitati id daturum, vt ex ipſorum ore, ea quæ ad patriæ ſalutem pertinerent, diſceret potius quàm ex Hiſpanis: quos quia ſic exceptos vidimus, vt omnes norunt; nemo mihi opinor ſuccenſebit quòd aliquãto attentius capiti meo cauerim. Hæc inquam ſi dicerent, partem veri dicerent. Sed paret ex regis literis, ſua manu ad me ſcriptis, & in calce huius libri poſitis, me cõſtituiſſe anno antè, abdicata præfectura, Belgium relinquere; quæ res vanitatis eos conuincit. Et qui ſcire volet, qua gratia, anno pòſt, iter illud in Germaniam à me ſit ſuſceptum, eius rei cauſam apologia mea ſatis aperit, in lucem edita anno 1567. Quarum cauſarum caput erat; quòd nollem inquiſitionẽ Hiſpanicam intra prouincias præfecturæ meæ reci- *De deceſſu Principis in Germaniam.*

pere; quamobrem & traditis Ducissæ Parmensi prouinciis, discessi hoc animo, vt in otio & quiete cum propinquis & amicis viuerem, quoad Deo placuisset, meliora regi dictare consilia; aut si obduruisset, donec ipse Deus viã libertatis Reipub. huic aperiret, quam in abyssum quandam miseriarum demersam videbam. Nam quis à lachrymis sibi temperet, qui recordetur exilia, bonorum rapinas, captiuitates, tormenta, cruciatus, tot horrendorum suppliciorum genera, quibus sanguinarij isti tyrãni Busyride, Phalaride, Nerone, Caligula, Domitiano crudeliores, miseros patriæ huius indigenas affecerunt? & tamen cùm nullã rationem viderem eripiẽdi eos ex his miseriis, quietem tenui. & quidem quòd dicũt nouissimo tractatu Coloniensi, conditiones mihi oblatas fuisse, si vellem in patriam meã decedere, hoc ipsum argumento est, debuisse eos voluntario meo exilio contentos, persequendi nostri finẽ fecisse; præsertim cùm ei significassem per virum quendam magni nominis etiamnum superstitem, si aut famam aut facultates meas tetigisset, effecturum vt rebus meis quaqua ratione consulerem. Sed postquam me verborum lenociniis ducere nequeunt, & rex epistola illa sua nimium honesta, quamque ab animo ficto profectam certò sciebam, capere me non potest, tanquam œstro quodam perciti, primum filium meum ætate puerum, qui tum fortè Louanij literis operam dabat, inuadunt, & contra Academiæ illius priuilegia, per vim inde rapiunt; quin Academia contrà nitente, & priuilegiis suis se defensante, respondit Vergas ille, vt erat barba-

Princeps à rege Hispaniarum omnibus modis adactus arma capere.

Comes Burensis è scholis raptus, & in Hispaniã deportatus contra iusiurandũ datum festo introitu, & contra priuilegia Brabantiæ.

rus, barbarè, *Non curamus veſtros priuilegios*. Itaq; deportant eum è Brabantia cōtra priuilegia illius prouinciæ, contra regis iuſiurandum, & à parentis complexu in Hiſpaniam relegant, vbi eum hactenus detinēt in carcere duro & crudeli; vt ſi mihi hanc vnam modò iniuriam feciſſent, indignus futurus ſim non tantùm genere meo, & Principis titulo, verùm etiam patris appellatione, niſi quantum conſilio & opibus poſſum, miſerum ex tã dura ſeruitute eripiam & tam inſignem iniuriam vlciſci ſtudeam. Neq; enim adeò ſum inhumanus, vt ſtorgas illas naturales non ſentiam; nec ita ſapiens, vt tamdiu abſentis filij deſiderio non ſæpè commouear. Neque hic ſiſtit iniuria, ſed contra omnem rationem iuris, in vincula coniiciunt collegas meos, equites aurei velleris; perſequūtur citationibus, bonorum proſcriptionibus, & eò me quaſi vi adigunt, vt neceſſe habeam, ea facere quæ ne in mentem quidem aliquando venerant. Præterea meam & ſociorum cauſam contra articulos ampliſſimi noſtri ordinis, contra iuſiurandum regium, ſententiis nebulonum (neſcio quorū) ſubiiciunt, qui vix collegarū mancipia aut noſtra eſſe merebantur. Adhæc, deformant dignitatem noſtram exauctoratione iudiciali; bona in ærarium referunt, capitis damnant: quod quid eſt aliud, quàm me ſacramento omni ſoluere? ac ſummam poteſtatem facere, quacunque tandē ratione oppugnandi inimici, & expediendæ ſalutis meę? Ergo dum quæro otium, illi turbas excitant; dū quęro pacē, ad bellū me protrudunt. At quod bellū? bellum pro libertate filij, pro capitis mei incolu-

Iudicia iniquè habita contra vitam ac facultates principis.

 mitate,

mitate, pro fortunarum recuperatione, & (quo viro bono nihil potest esse carius) pro fama atq; existimatione mea susceptum. Nihil hic de Repub. dico, de qua consulto ab accusatoribus mentio facta non est, propterea quòd ipsorum causæ minimè seruiat. Sed si (vt ipsemet dicit) subditus regis natus non sum, si sacramento solutus, & iniquissimo illo iudicio & sententia sum exauctoratus, si optimo meo iure & filium & bona bello possum repetere; si his inquam subnixus causis, non inferioribus modò hisce regionibus, sed in vniuersum omnibus suis prouinciis eum exuissem, atque eas adeò in rem meam vertere studuissem, cùm præter ius æquumq́ue, contra suum iusiurandum me coëgerit bellum suscipere necessarium, idq́ue tum cùm id modis omnibus vitarem, et quidē eo tempore maximè quo literis ad me sua manu scriptis, fidelitatis erga se meæ huiusmodi dabat testimonium, quo ne optari quidem posset locupletius; quis est qui hoc factum meum iure reprehendat, nisi fortè quòd serius arma cœpi, tardiusq́; ea mihi vendicaui, quæ & belli ius simul & naturæ largiebantur; mihi inquam, qui sum Dominus liber natus, cuiq́; is honor contigit, vt absoluti Principis titulum geram, etiamsi Principatus meus minus latè pateat? Sed quoniam præcipua basis accusationis, est quòd arma ceperim aduersus meū superiorem; volo & ipse in hanc arenam descendere, vt appareat quàm non meliore causa hîc nidere, vt appareat quàm non meliore causa hîc nitantur quàm alibi. Primùm ergo illud mihi respondeant velim, quo iure quóve titulo Rex Philippus, hæres nothi Henrici de Castillia, possideat regna

Vide & super his exemplum epistolæ regiæ ad calcem huius apologiæ adiectæ.

Defensio armorum Principis contra Hispanum.

regna Castilliæ & Legionis: nam illud quidẽ omnes norunt, Henricũ à quo genus ipse trahit, nothum fuisse, qui legitimo hæredi rebellabat, suo & fratri & domino, quẽ sua manu ipsus interemit. Quid iuris igitur habuit nothus hic regis proauus? Respondent Domnum Pedrum fuisse tyrannum, & quidem crudelis ab ipsis vulgò appellatur. Atqui si hoc iure Philippus Castilliam possidet; cur non eadem in trutina se poni posse videt, in qua ponit alium? Quod si nemo exstitit tyrannus Philippo crudelior, qui plura violarit, qui superbiùs & contemptiùs leges ac priuilegia omnia proculcarit, qui maiori impudẽtia iuratam fidem fregerit, an non habebitur indignior corona Castilliana, quàm Domnus Pedrus? Qui certè incæstuosus fuisse aut parricida aut percussor vxoris suæ non perhibetur. Quòd si quis dicat, nihil ista ad me pertinere; non recuso quin cominus congrediar, tametsi non statui in eo fundamentũ meę causæ struere quod iam sum dicturus. Sed quamuis arma contra eum caperem, & absolutus meus esset superior, & natus essem ei subditus (quod ita non esse ipsemet confitetur;) quid facerem quod proauus eius nõ fecerit, contra Imperatorẽ Adolphum Nassauium, suum superiorem. Omnes quibus res Germaniæ paulũ modò sunt notæ, sciunt Albertum Ducem Austriæ, primum eius nominis, & generis (prius enim audiebat Comes de Habsbourg) arma cepisse contra Adolphum Imperatorem ex meis maioribus vnum. Et quanquã Imperator ille in prœlio occubuit, scio tamẽ quæ sint probatorum scriptorũ hac de re iudicia, quid-

Albertus Austriæ dux arma capit contra Adolphum Nassauium Imperatorem.

quid tandem Gerardus Archiepiſcopus Magontinus coniurationis illius caput inuoluat ac diſſimulet. Et quidem qui volet attentius hiſtoriã recognoſcere, deprehendet Imperatori aduerſariũ hunc fuiſſe concitatum à Bonifacio, in quem dictum illud eſt, *Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, moritur vt canis.* Qui nimirum ideò Albertum allegauit, quòd Imperator Pontificem pro eo nollet agnoſcere quem ſe eſſe dicebat, cùm alioqui Imperatori Albertus eſſet iratior, quòd Adolphus in electione Imperij ſibi eſſet prælatus, cùm ſe eo in bello aliquot epiſcopi nimium Papæ deuoti, adiunxiſſent. Et quis in animum induxiſſet tã ſceleratum hominem adorare qui ſecularibus ſuis veniis (quas Iubileas appellant) duos enſes pręferendos ſibi curauit; quorum qui ferret alterum, clamabat, O Chriſte, en vicarium tuum in terris: qui alterum, clamabat, O Petre en tuũ ſucceſſorem? Cumq́ue tam indignis modis Imperatorem excepiſſet, & Albertum ſibi deuotum haberet, cogitabat eadẽ de cauſa regem Galliæ Philippum Bellum ſimili malo mulctare, condonato eius regno eidem illi Alberto, quem promulgari fecit regem Romanorum & Francorum: ſed offendit clerum Gallię, minus ſibi addictum, minusq́ue potentem quàm putarat; totamq́ue Galliam excitatam doctis diſputationibus magiſtri Petri Coignerij, & regem interritum, qui Anagniæ comprehendendam curabat eius fatuitatem (ſic enim in epiſtola rex eum appellabat) per Procerem quendã & primogenitum inclytæ familiæ Colonneæ, & per generoſum quendam Occitanum nomine Nogaretum,

Bonifacius VIII. Papa.

Rex Philippus Bellus orditur epiſtolam hoc modo, Sciat fatuitas veſtra.

tum, qui eum Romã abductum (vt meruerat) necari curarunt. Sed his me (vt dixi) non defendam: quin potius ad obligationes veniam, quæ mihi cũ eo intercedũt. An nescit, quòd si ipse dux est Brabantiæ, me ratione Baronatuum meorum, in præcipuis esse membris Brabantiæ? An ignorat quatenus vel mihi vel sociis meis ac principibus ciuitatibus sit obstrictus? quibus conditionibus ducatum illum acceperit? non meminit amplius iurisiurandi? aut si meminit, non pluris facit promissa sua, quibus se Deo, populo ac cõditionibus diademati ducali annexis, obligauit? Nihil opus foret viri grauiss. promissa hîc ea repetere, quæ nobis ille promisit, antequam in verba eius iremus; nostis enimque plerique omnes. Sed quoniam ad aliorum quoque manus hæc nostra vẽtura est defensio, volui & vobis summam sacramenti ipsius in memoriã reuocare. Scitis cui rei sit deuinctus, & nõ esse arbitrij sui (vt apud Indos) facere quodcunque libuerit. Neque enim potest vel priuatum aliquem vi ad vllam rem cogere, nisi consuetudines fori domestici hoc permittant. Non potest, edicto aut decreto, vllo modo statum Reipub. innouare: Tenetur ordinariis suis vectigalibus contẽtus esse: Nulla tributa exigere, aut colligere potest, nisi cum bona venia & diserto consensu prouinciarum & ex præscripto priuilegiorum: Non potest militem inducere, sine consensu regionis: Non potest pecuniæ pretiũ immutare absq; consensu ordinum: Neminẽ potest in carcerem coniicere subditorum, nisi prius quæsitũ fuerit à magistratu eius loci; Captiuum non potest ex prouin-

Defensio armorum ab ordinibus sumptorum contra Ducem Brabantiæ, Comitẽ Flandriæ.

Summa capitũ priuilegiorum Brabantiæ.

ciis abducere. Quæso vos ornatissimi viri, cùm hanc modò summam auditis, non videtis nisi Barones ac nobiles regionis (quibus ex officio armorum incumbit tractatio) obuiam ierint; nō dico cùm hæc modò recitata capita violātur, sed cū per summam tyrannidem ac superbiam pedibus proculcantur, cùm non vnum caput, sed omnia; nō semel sed millies; nec à Duce tantū, sed à Barbaris infringuntur & rescinduntur: si inquā nobilitas pro religione sacramenti & officij non cogant Ducem iusta regioni facere; nónne ipsi periurij, perfidiæ, ac rebellionis in patriam, veniunt condemnandi? De me autem seorsum vt loquar, alia etiam mihi causa est, & quæ me propiùs attingit; nam contra omnia supradicta priuilegia & bonis meis omnibus exutus sum, contra omnem vsum, & consuetudinē iuris: & quod filio meo accidit, id verò perfidiæ inimici, & violatorum priuilegiorum adeò euidens testimonium est, vt nemo meritò dubitare possit quamobrem arma capienda mihi putarim.

Prima expeditio Principis.

Quod si prima mea expeditione, certū in Belgio pedē figere nequiui, (quemadmodum nobis exprobrant) quid tandem est noui, & quod non maximis Imperatoribus vsu venerit? quòd non ei ipsi, qui toties magnis exercitibus in Hollandiam & Zelandiam erupit; & tamē quàm parua vel potius nulla manu eiectus fuerit, vidistis. Et quidem magnus ille belli Dux Albanus, & qui ei successit, vsq; eò, vt in iis prouinciis nihil suum habeāt, in quo vel pedē figant; quemadmodum nec in reliquo Belgio fretus vestra ope atque auxilio breui ha-

ui habituros quicquam confido. In summa, ex iuramento vult nos sibi non amplius esse obligatos, si contra priuilegia fecerit; ne quod sibi seruitium aut obsequium deinceps præstemus, vt patet ex postremo capite. Si igitur obligatione solutus sum, si nec officium nec obedientiā deinceps prę-stare teneor; quæ tandem ista temeritas est, dicere me arma aduersus Dominum meū cepisse? Equidem inter omnes Principes & Vassallos intercedit mutua quædam obligatio: sempérq; illud consularis viri dictum in consulem non optimū laudabitur, Non habes me pro consulare, ne ego quidem te pro consule. Sed tamē, inter subditos permultū interest; quippe alij nimio liberi⁹ quàm alij habētur: cuiusmodi nostra est libertas in Brabantia; quæ tanta est, vt etiā subditis nostris si quid ab iis capitaliter peccatū sit suppliciū remittere possimus; vt excepta fide cliētelari, qua tenemur, nihil ad summā libertatē addi possit. Atq. inter alia id habemus priuilegij, vt hoc simus nostris ducibus, quod apud Spartanos Ephori suis regibus; hoc est vt statum bono Principi incolumē conseruemus, eundéq. in ordinē cogamus si iusiurandū violarit. Respondebūt aliam quoq; conditionem esse adiunctam; nimirum tantisper nos sacramēto solui, quoad ille errorem correxerit, damnumq; præstiterit. Quid si nunquam præstet? Si cùm Maximilianus Cæsar & Imperij Principes pro nobis apud eum intercedunt, nullum aliud responsum ferūt, quàm vt suis se interponant, regem scire quo modo subditos suos regere debeat: si cū infinitis admonitionibus, amplissimis legationibus nobilis-

simorum

ſimorum Belgij procerũ, iuſta nobis fieri demiſſe petimus, preces noſtras ſuperbiſſimè reiicit, legatos interimit, & quotquot nanciſci poteſt tortoribus tradit, reliquos igne ferroq́; perſequitur. Si nouos ſubindè adducit exercitus, quibus nos radicitus exſtirpet: num miſericordiam eius tantiſper expectandam nobis putemus, donec crudelitas Hiſpana omnem dilationis ſpem nobis reſciderit? Sed præſtare damnum cogitat; & rationes quibus ſatisfieret tranſmiſit per Dominũ de Selles; Albani acta improbauit. De his omnibus ſingillatim ſuo loco videbimus. Mihi ſatis eſt in præſens oſtendiſſe, optimo iure me arma contra eum ſumpſiſſe: primùm cum ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ, deinde vobiſcum viri Belgæ; quia periurus fuerit in totam regionem, & in mea cauſa, quando contra ſtatuta equeſtris ordinis per tales me damnauit; contra priuilegia Brabãtiæ quòd filium meum è Belgio abreptum in Hiſpaniam deportauit; quòd me dignitatibus meis & bonis ſpoliauit; quòd me iureiurando liberauit: quòd iam tam crudeliter ac barbarè me proſcripſit; in quo vt ad ſummum cumulum tyrannidis nihil addi poteſt, ſic animum nimis quàm humilem & abiectum prodit.

Sed quoniam ad inſequuta venit tempora ornatiſſimi viri, ne nos quidem ea refugiemus, eoq́; libentius quòd nihil feci eorum quorum me deinceps accuſant, niſi de ſententia, venia, conſenſu, primùm ordinum Hollandiæ, deinde veſtrûm vniuerſorum; vt etiamſi quis ſit error, mihi nõ ſit imputandus: quin potius laudandus qui vobis tã

benè

bene ac fideliter ſim obſequutus. Veniā igitur ad alia capita accuſationum, ſed ea conditione, vt quę ille malitiosè præterit, quo crudelem ac peruerſum animum ſuum cælet, & quem tamen interim famoſis libellis diuulgat; in memoriam reuocem atque in lucem proferam vt ſuprà feci.

Animaduertiſſe mihi videor viri grauiſs. reliquam accuſationem vel potius maledicentiam, in duas partes eſſe diſtributam. Quarum vna, quę cū Albani aduentu coniuncta ſunt attingit, quæque deinde conſequuta ſunt, & maximè ea quæ poſt aduentum meum, in Hollandia & Zelandia ductu meo ab illarum prouinciarum ordinibus ſunt geſta: Altera, ea complectitur, quæ contigerunt ex quo vobis Deus oculos aperuit, dum non ferenda inſolentia Hiſpanorum commoti, exhauriendam vobis ſemel hanc ſentinam, & Hiſpanis totiq; eorum factioni igne & aqua interdicendum exiſtimaſtis. Sequar igitur hunc ordinem. Et primùm, magnam Deo habeo gratiam quòd ex ſilētio inimici mei cognoſcitis Domini, & (vt ſpero) innoteſcet vniuerſo orbi, me ne in ſuſpicionem quidē vocari, quòd in rem meam vel teruncium de pecunia publica conuerterim. Nam ſi reliquis in rebus (vt iam vidiſtis) non dubitant falſa mihi crimina impingere, & calumniis nimis quàm euidentibus onerare, quandoquidem ne minimam quidem ſuſpicionem auaritiæ nobis obiiciunt, nimirum non modò apertè oſtendunt me hoc crimine vacare, verumetiam quamlibet ſint impudentes & capitaliter me oderint, nunquam tamen hanc dicam mihi dicere ſunt auſi, quę tamen ferè im-

Princeps ne ab hoſte quidem in peculatus ſuſpicionem vocatur.

impingitur præfectis prouinciarũ quo iure quaq; iniuria. Sed Deo gratia, iã olim didici eos qui ad gubernacula Reipub. admouerentur, non tantùm auaritiæ culpa, verùm etiã ſuſpicione omni, ſi fieri poteſt, vacare oportere: quæ me res impulit vt iam inde ab adoleſcentia ærarij regij præfecturã quam plerique auidè arripuiſſent abdicandã mihi putarim. Et quanquã mihi neceſſe nõ erat, de his apud vos verba facere ornatiſs. viri, qui iuxtà mecũ ſcitis, nullum me nec meos vnquam teruntium publicæ pecuniæ attrectaſſe: ſed & quàm parum receperim eius quod mihi vel honorum quos gero nomine, vel propter extraordinarios belli ſumptus irrogandum decreuiſtis, & quemadmodum me ex eo quod de meis facultatibus mihi ſupererat, aluerim, & plerosq; alios non mediocres ſumptus tolerarim, ex quo ſeruire vobis cœpi, quod equidẽ non voluntati erga me veſtræ, ſed temporũ neceſſitati tribuo. Sed quoniam tacita inimicorũ meorum confeſſio hanc mihi dat prærogatiuam, ſilentio eam prætereundam neutiquam putaui; vt intelligant virulentæ quædam linguæ, quæ inter nos verſantur, erubeſcendũ ſibi eſſe, quòd de me ſiue per malitiã repugnante conſcientia, ſiue ſtultitia quadam ex vecordia, ea in vulgus ſpargere ſunt auſi, quæ ne hoſtes quidem in me & patriam coniurati, ſuſtinuerunt obiectare; quòd ſcirẽt eam eſſe hac in parte noſtram integritatem, vt ſi eã calumnia impetiſſent, mendacij ſui turpitudinẽ veritatis lux mox fuerit productura.

Quandoquidem igitur tã pulchrũ mihi campum aperiunt narrandi non quę ipſe ego fecerim, ſed

ſed quæ ordines Hollandiæ & Zelandiæ ope ac miniſterio meo geſſerint: non recuſo quin apud vos atque adeò mortales omnes rationē cum illis ineam. Sed quando ſupremi eſtis iudices, eorum quæ in his regionibus ſunt geſta, ratio poſtulat vt conſideretis ea quę ab illis iniuſtè facta ſunt in reliquis prouinciis; interea dum mecum Hollandiæ & Zelandiæ populi, conatus Hiſpanici curſum, veluti obiectis repagulis, inhibuerunt.

Primùm me dicunt, machinatum eſſe reditum in Hollandiam & Zelandiā. Quod vt ita ſit, quid aliud quàm officiū feci? Etſi iuſtiſſimis cauſis (vt ſuprà oſtendi) prima illa mea expeditione, in Belgium armatus veneram; quid cauſæ eſſet quo minus in præfecturam meam venirem, cui ex iureiurando plus debebam? & apud quos in prima ſum nobilitate? Sed tantùm abeſt, vt id rogauerim, vt contrà paratus ſim exhibere literas eorū qui primas in ciuitatibus tenerent, quibus me accerſunt, ad liberandam patriam aduerſus Hiſpanicam tyrannidem, & nominatim Albani. Et quòd ad ſtipulationem qua me ingreſſum promiſiſſe aiūt ordinibus illis, fore vt tuerer eos ſi decimas & vigeſimas Albanus extorquere voluiſſet: id ita nō eſt: ſed veniſſe me ſecundò in Belgiam armatum ob hanc nominatim cauſam, vt eam à tyrannide eximerem, qua tum miſerè premebatur, non tantùm in cauſa decimarum, ſed & ſexcentis aliis generibus immaniſſimarum crudelitatum, & quidē ob cædes quas ediderat Albanus in miſeros indigenas: id verò ita eſt. Iam verò quòd me dicunt, clerum Romanum eſſe perſequutum, bonis eieciſſe, religio-

Cauſæ quæ impulerunt principem venire in Hollandiā.

religionem introduxisse, an mihi hîc alia defensione opus est, quàm vestris ipsorum conscientiis, qui sciatis totam eam rerum immutationem Dei fuisse opus potius quàm hominum? Scitis quoties fuerim accusatus, quòd nimis frigidè me opponerem aduersariis, quòd nimis patienter eos ferrẽ, & quòd Rempub. irem perditum dũ nimis essem lentus in exigẽdis eis & exterminãdis. Et si quando tamen res ferret, vt eorum nõnulli tollendi forent; scitis quanta diligentia cauere studuerim vt concorditer inter partes viueretur. Sed ordines, qui primùm è re prouinciæ suæ esse statuebant, vtramque religionem retineri, si ex eo tẽpore insolentia, conatibus, proditionibus hostium inter nos versantium intellexerunt statum Reipub. suæ in discrimen extremum adductum iri, nisi interdicerent exercitium religionis Romanæ, præsertim cùm religionis eius professores, saltem sacerdotes, Põtifici (vt aliis in locis omnibus) iureiurãdo essent obstricti, quod religiosius sibi ducerent, quàm illud quod prouinciæ præstitissent; quibus causis adducti ordines in conuentu Leydensi, nec non in confœderatione Hollandiæ & Zelandiæ vnanimiter articulum hunc decreuerunt; cuius ignorantiam nec prętendere quidem inimici possunt, quandoquidem in conuentu Bredano, super articulo religionis, cùm à partibus hostium proponeretur mutationem illam euenisse quorundã priuatorum opera, exhibitus est consensus omnium ciuitatum, earum sigillis consignatus: Quæ mihi obsecro restat obligatio, cùm ij quibus promissum feci, non tantùm illud mihi condonant, verum-

Causæ quamobrem quidam Ecclesiæ Romanæ ex Hollandia discesserint.

Constitutio vnius duntaxat religionis in Hollandia & Zelandia & causa eiusdem.

verumetiam ipſi reſcindunt, obliterant, atque abrogant? Et tamen, bene an ſecus fecerim, iudicium ſapientibus relinquo. Illud ſcio, cùm huiuſmodi res proponerentur, eas non attingi maluiſſe, & multò etiam magis cùm executioni mandarētur. Cuius rei Hollandiæ & Zelandiæ primates atque adeò moroſa quædam inter nos ingenia, quæ me apud exteras nationes traduxerunt, tam luculentum dare poſſunt teſtimonium, vt verendum mihi non ſit ne non ſuppetat defenſio aduerſus huiuſmodi calumniã, quam cùm falſam dixero, ipſa per ſe concidet. In quo quàm ſint ridiculi videtis, cùm id accuſant quod verbo ſatis ſit negaſſe. Quanquam belliſſimi illi colores, quibus ſe me depingere pictor ille gloriatur, maiori ex parte in hanc ſimplicis negationis ſpongiã poſſint incumbere. Si tamen dicant, eos qui ſedibus pulſi ſunt, iuſtã querimoniæ cauſam habere, propterea quòd promiſſa ipſis ſeruata non ſunt; etſi id ad me non pertinet; reſpondebo tamẽ pro Hollandiæ & Zelandiæ ordinibus, querimoniam hanc nullo fundamento niti, propterea quòd iniquum ſit huiuſmodi homines eo frui priuilegio, cuius priuilegij opera regionem hoſti in manus tradere, vitas ac bona ſubditorum prodigere, nõ priuilegium vnũ atque alterũ, ſed immunitates, libertates poſt hominum memoriam continua ætatum ſerie à patribus noſtris conſeruatas, ſemel omnes prodere voluerunt.

Addunt *procuraſſe me libertatem conſcientiarum.* Si hoc ita accipiunt, quaſi ſceleribus iis feneſtram aperuerim, quæ quotidie committuntur in

domo Principis Parmensis, vbi Atheismus & alię virtutes Romanę in deliciis habentur; Respondeo huiuscemodi libertatem non bene hîc quæri, quã nusquam vberius inuenias quàm apud hæredes Petri Aloïsij. Sed illud confiteri audeo, lucem illam flammarum quibus miseros Christianos exusserunt, non perinde mihi vt Albano atq; Hispanis placuisse; quin me sententiã dixisse de tollendis semel è Repub. nostra persecutionibus. Confitebor etiam amplius, vt intelligant aduersarij cũ simplici minimeq́; fucato homine sibi rem esse; videlicet regem quo tempore è Zelandia extremis Belgij finibus soluit, mandasse mihi necandos complures viros bonos, de religione suspectos, meque id facere noluisse, sed indiciũ ad eos detulisse, cùm scirem me id bona conscientia facere non posse, & Deo potius obediendum esse quàm hominibus. Quare dicant Hispani quod volent: scio multos populos ac nationes quorum auctoritas non sit minor, quiq́; compertum habẽt ferro & igni nihil profici, factum hoc meum probaturos. Et quando vos viri ornatiss. summo totius populi consensu, eam rẽ calculo vestro postea comprobauistis, sæuissimis illis edictis, & crudelissimis suppliciis inhibitis atque abrogatis, nihil est (opinor) quòd Hispanicę factionis hac in parte offensionem morer. Nec mirari satis possum, stupendam illorum stultitiam, cùm non puduit mihi obiectare ecclesiasticorum suorum cædẽ, qui non tantùm sciant ingenium meũ ab huiusmodi violentia abhorrere, verùm etiam & vobis & toti orbi constare, meo adeò iussu atque edicto, ob presbyteros

Qui malè presbyteros multarant suppliciis affecti.

byteros malè multatos, alios ſupplicio capitis affectos, alios illuſtres viros & ſummo loco natos à domeſticis meis miniſtris in vincula coniectos, nec niſi poſt longinquam demum captiuitatem hanc vnam ob cauſam ſolutos; quòd illuſtri illorum familiæ vnde erant oriũdi honor hic tribueretur, vt diuturna eorum captiuitas, ſupplicij loco haberetur. Sed quod meo iuſſu atque imperio factum eſt, adeò toti paſſim orbi innotuit, vt diſſimulare id aut obſcurare non poſſint; tantùm (vt ſunt edocti vera dicere) quod bene & cum virtute fecimus, id nos finxiſſe aiunt, nobis diſplicuiſſe. Sed quis ipſis ſignificauit me finxiſſe? aut quis hęc mea ſecreta ipſis aperuit? quid fecerim vident; de conſciẽtia meã iudicare nõ poſſunt: nec eſt quiſquam ita malitioſus, niſi fortè proſcriptionis illius architectus; aut Hiſpanus quiſpiam, qui non potius iudicare debeat ex his quæ videat, quàm ex iis quę ſuſpicetur. Infinitis conuiciis religionẽ noſtram petunt; appellant nos hæreticos: ſed tot annis quibus hoc probare nituntur nihil efficiunt, vt eius generis conuicia nihil à commotarum mulierum rixis diſtantia, reſponſionem non mereantur; & multò etiam minus quòd me negãt vlli ſacerdoti aut monacho fidere, niſi qui vxorem duxerit, quodq; ad matrimonium eos compulerim. Et quis non videt eos cæco quodam furore actos & quaſi œſtro percitos, quidquid in buccam venerit, aut in manus, temerè & nullo delectu inciderit, in meum caput eiaculari? Et quanquam vera hæc eſſent, vt profectò nec vera ſunt nec rationi conſentanea (docet enim noſtra religio matri-

Matrimoniũ ſacerdotum.

monium rem eſſe liberam; à quo vt nemo ſit arcendus, ſic nec vt inuitus ſubeat cogendus:) tamẽ ne conferendum quidem hoc ſit peccatum, cum illa conſcientiarũ tyrannide, quę bonę parti Christianiſmi matrimonio interdixit, cui ſe non tantũ Eccleſiæ Orientales, verùm etiam Germanicæ & Gallicæ oppoſuerunt.

Sed nihil perinde in hac tam vera tamq́ue bene ſtabilita proſcriptione laudem meretur, vt id, *quòd rex Albano non mandauerat vt decimas & vicesimas exigeret ab inuito populo*. Quòd ſi igitur Albanus in negotio tanti ponderis, quod infinitis hominum millibus exitium attulit, præter mandata fecit, cur non in eum eſt animaduerſum? Albanus quòd Fredericum filium ſuũ cuidam cognatæ ſuæ matrimonio iunxerat, auctorq́; repudiandæ eius quam coniugij prætextu deceperat, exſtitiſſet (quod ipſum Rigomes antè in gratiam regis fecerat, vt ſuprà pluribus eſt oſtenſum) in carcerem coniicitur, gratia excidit; nec ſolutus adhuc eſſet vinculis, ſi quis exſtitiſſet in tota Hiſpania tyrannus affligendis Luſitanis aptior. Ergo, ob tã leuem culpam tam graui ſupplicio afficitur? pro peccato maximo, honoribus, pręmiis, bonis denique omnibus cumulatur. Et ſi quis obiiciat regi, ſupplicia Comitum Egmondani & Hornei, idem reſponſum ferat, & iniuſſu ſuo id quoque factum rex dicat. Quid præclarius quàm hac ratione omni ſe crimine expedire? Sed tamen expectatum oportuit, dum humani generis hoſtis ille ad inferos commigraſſet. Vtrum tamen velint eligãt; aut rex mandauit, & tyrãni nomen effugere non poteſt;

De decimis & vicesimis.

teſt;aut non mandauit, & idem nomẽ in eũ competit, quòd de eo ſupplicium non ſumpſerit, qui priuatim auctoritate ſua huiuſcemodi tyrannidẽ in liberum populum vſurpauit, ex quo teneri eum confectum eſt. Et quanquam Albanum pro hoſte harum regionum ſemper habui, qui ſe & noſtro, & omnium Chriſtianorũ ſanguine, libenter maceraſſet, quippe ingenio præditus Mahometico; tamen aliter mihi notus eſt, & quidẽ familiariùs, quàm vt credam adeò fuiſſe ſtolidum ac arrogantem, vt auſus fuerit graſſari tam periculoſis exactionibus, tam longo tempore eaſdem perſequi, idque rationibus adeò extraordinariis & regioni planè non ferendis; niſi diſertis mandatis non ſemel, ſed ſæpiùs ſibi id fuiſſet iniunctum. Veſtris relinquo iudiciis viri prudẽtiſs. ſi qui multare viginti quinque millibus florenorum Burgimagiſtrum Amſtelrodamenſem pro ipſius vnius parte auſus eſt, aut certè multãtibus fauit, quòd ſe Burgimagiſter decimis oppoſuiſſet: an is, inquã, qui hoc eſt auſus, non videatur certo fundamẽto ſubnixus id feciſſe, & idoneam cautionẽ ab rege ſuo habuiſſe? Nec alio nobis opus eſt, ad deprehẽdendas fraudes, diſſimulationes, artes, quibus nos tã diu lactauit rex ac deluſit, & porrò deludere in animo habet, ſi nos ipſius lingua vulnerari, aut belli minis territari patiamur. Et quoniam tantoperè iactitat, ciuitates in Hollãdia & Zelandia, vel deditione captas, vel vi expugnatas; videlicet duas aut tres toto quadriennio, & quidem maioribus copiis quàm Turcam ipſum oppugnarit: Reſpondeo conſiderandum ipſi eſſe, cùm tanto fuerit ſu-

Quàm paruis armis rex profecerit in Hollandia & Zelandia.

rior, quantò fuisse se gloriatur, quàm turpe sibi sit, tota prorsum regione exactum eiectumque esse. frustráque allegatur Hispanorũ seditio: siquidem belli dux tantis præsertim instructus opibus, non obscurè significat, quàm sit ineptus imperio, & eodem indignus, cùm huiuscemodi facultatibus adiutus sub imperio retinere militem nõ valet: quin è cõtrario, cùm se tam ineptè purget, fateátur velit nolit necesse est, me & ordines Hollandiæ & Zelandiæ paruis illis opibus & quatuor aut quinque hominum millibus, plus quàm sexaginta millia suorum militum fudisse. Ac dum hîc apud nos tempus, militem, pecuniam perdit; bimestri spatio in Africa regnum Tunetanũ ac Golettam amittit, tanto cum dedecore atq; ignominia, quanta post hominum memoriã, nullus Princeps ditione sua est eiectus: quamlibet prætexantur Ioannis Austriaci iuuenilia & lustra scortaq; Cardinalitia. Nam dũ hic copiis suis tam infeliciter vtitur, Sinam Basscha regnũ illud cũ arce quæ inexpugnabilis vulgò credebatur, ei eripit, idque in oculis Hispaniæ & Siciliæ, nemine suorum caput exerere auso, non dico oppugnandi, sed nec diuertendi causa. Atqui vt existimationis suæ & Reipub. Christianæ rationẽ non haberet (quemadmodum profectò nullã vnquam habuit, quod testari potest fucata eius societas quæ nimio Venetis stetit) saltem mouisset eum Caroli Cæsaris parentis sui memoria, reliquas res suas gestas pro nihilo habentis, præ hac sua victoria; mouisset inquam ac generosissimo ardore animũ eius accendisset ad ea sapienter retinẽda, tuendaq; quæ ma-

Regnum Tunetanum & Goletta turpiter amissa.

gno

gno orbis Christiani commodo fortissimè pater bello parauerat. Sed perdendi nostri libidine sic ardebat, vt oculis pariter & mente captus, nec quantum hoc esset malum, nec cuiusmodi, videret; facilius passus imbecillitatem suam à suis argui, quàm vires cōtra publicum nominis Christiani hostem, fortiter experiri.

Atque hactenus responsum est ad ea, ornatiss. viri, quæ sibi videbantur aduersarij obiiciēda mihi habuisse; in his quæ fœdus vestrum vniuersale antecesserunt: quibus fortasse respondendum nō fuerat, nisi quòd non tantùm hoc agitur, vt vobis satisfiat, verumetiam vt ora ipsis obstruantur, & impudentia eorum atque calumnia toti orbi innotescat. Nam si ad vos tantùm mea pertineret oratio, & ad eos qui cùm nostras ante partes sequerentur, incommodè sanè secessionem à nobis fecerunt, nihil verbis opus foret, cùm vos & vobiscum illi iam antè abundè declaraueritis multo vos meliùs de me sensisse. Nam primum fœdus à vobis mecum & cum Hollandiæ & Zelandiæ ordinibus Gandaui ictum satis superque causam meam probat; quod nisi aliter de me sensissetis quàm qualem me infamis hæc proscriptio depingit, profectò nec voluissetis, nec debuissetis omnino pactum vllū mecum iniuisse. Deinde tot honestissimæ legationes, quas ad me misistis Ghertrudimontem, necnō Antuerpiam, tum vt in Brabantiam venirem, tum vt Bruxellis me vobis in consilio cōiungerem; & quòd me generalis vicariatus dignitate ornare voluistis: hęc, inquam, omnia satis superque testantur, quis fuerit ani-

morum veſtrorum ſenſus, quod iudicium de falſis ac friuolis iſtis criminationibus: quod ego vnicum argumentum ſatis eſſe duco ad confutandas eorum calumnias.

Sed videamus quo modo ſe illi ante hæc tempora geſſerint, qua ſuperbia, qua inſolentia, quo contemptu totius noſtræ nationis. Non repetam periuria ac fraudes Duciſſæ Parmēſis, ſed nec regis aduerſus Comites Egmondanum & Horneum, nec quibus illecebris ineſcare nos tentarint: nihil denique eorum attingam, quæ ante Albani aduentum contigere; ſed ea tantùm quæ ex eo tempore vſque ad generalem veſtram omnium confœderationem acciderunt; vt quemadmodū præteritorū malorum recordatio, vobis delectationem, mihi qui ſum opitulatus gratiam, vti ſpero, eſt paritura: ſic & confirmatiores indies reddamini in ſanctiſſimo hoc & laudatiſſimo propoſito; quo decretum vobis eſt Hiſpanos & totam illā fæcē factionemq; pro parte veſtra virili propulſare. Albanus igitur & qui ſub eo, & poſt eum, clauum Reipub. tenuerunt, abundè nobis oſtenderunt quæ mens, quod conſilium Hiſpanorum ſemper fuerit, nimirum exterminandi noſtri atq; in ſeruitutem redigendi. Nam vt Hannibal nouem modò annos natus, Deorū aris admotus, iurauit ſe perpetuum hoſtem Romanorum fore: ita & Albanus iam indè à pueris ſic enutritus atque educatus eſt, vt regionem hanc noſtram irreconciliabili odio perſequeretur; quod eius odium tale fuit, vt tantum ſanguinis abſorptum ſatiare inexplebilem illum vtrem nequiuerit. quem tam-

Albani ſuperbia & miniſtrorum eius intolerabilis.

M.

etſi

etſi tanta copia in omnibus paſſim Belgij noſtri ciuitatibus effudit, vt quemadmodũ ipſe eſt gloriatus, plus quàm octodecim hominum millia carnificis manu contrucidandos iuſſerit, nunquã tamen crudelem animũ explere potuit. Vt ſi quis ſcire velit, quod ſit arcanum illud conſilium Hiſpaniæ, quæ regis voluntas, quamq́ue ei cari & accepti ſimus, in rebus geſtis Albani tanquam in tabula ad viuum depicta videre poſſit: nullum enim genus eſt diſſimulationis, proditionis, perfidiæ, quo non ille ſtuduerit principes huius noſtri Belgij viros, in caſſes ſuos pertrahere, pollicitationibus, donis, nouis honorum titulis: ſed quos potuit bonos viros pellicere crudeliſſimè necauit, nulla habita ratione vel eorum innocentiæ, vel priuilegiorum patriæ: nec tamen quicquam factũ eſt niſi regis iuſſu. Eodem modo ſe geſſit erga bonos ciues & mercatores; antiquis noſtris priuilegiis & immunitatibus, & quidquid omnino ſplendoris patrij fuerat reliqui, eo faſtu atque arrogãtia proculcatis; vt indigni videremini qui hominibus eſſetis annumerandi. Et quod tandem habere poſſumus argumentũ aut certius, aut illuſtrius, quod in oculis hominum magis verſetur, quodq́ue in theatro orbis Chriſtiani editiore, cum intolerabili contemptu omnium prouinciarum, ſit poſitum, quàm ſuperbam, ambitioſam, prophanã, paganã, ſtultã deniq; illam ſtatuã in meditullio arcis Antuerpianæ erectam, qua nefarius ille tyrannus repræſentatur, inſultans ventri ordinum, procerum ac populorum Belgij; monumentum tyrannidis, teſtimonium ſuperbiæ eius! Quid dicam eius ſer-

Prophana ac ſuperba ſtatua Albani in caſtro Antuerpiano erecta.

uos, ac totam illam fæcē Hiſpanicam, de nobis & ſentientem, & loquentem, nō tanquam de *Vellacos*, id eſt nebulonibus, ſed tanquam de belluis. Scio vobis aures etiamnū tinnire D. & ante oculos verſari eorū inceſſum, habitum, geſtum, verba plena audaciæ, plena ſuperbiæ, plena contemptus, actiones denique eorum intolerandas; poſtremò qua inſolētia, quamdiu in ciuitatibus veſtris fuerunt, vobis imperitarint. Si ergo ex præſcripto ſapientū ei qui velit magnatis alicuius ingeniū noſſe, explorāda ſunt ingenia familiariū ei⁹ et amicorū: qui dominū perſpexiſſe vult, in ſeruis periculū eſt faciendum: videlicet ex Albani virtutibus, principem locum in miniſtris domini ſui tenentis, conſiliorumque eius adminiſtri, colligere vobis promptum eſt (viri Belgæ) quo animo erga vos ſit rex, qui hunc talem ad vos vexandos ſummiſerit: & quæ vos maneant, niſi obuiam itis, vt officij veſtri ratio, & vniuerſa hæc Reſpub. poſtulat: nō dicam ſtuprationes, compilationes, exactiones à vulgo Hiſpanorū patratas; caput modò rei attingam. Nunquam vt conuentus ordinū liberè haberētur impetrare potuiſtis; ſciebat enim inimicus conuētus illos veſtros tollere, nihil aliud eſſe quàm priuilegia veſtra à ſtirpe recidere, libertatis veſtræ fontē obſtruere. Quorſum enim populo priuilegia pergameno illita, & ſcriniis incluſa, ſi ab ordinibus nec obſeruantur, nec executioni mandantur? Et quidem multo antè rex diſpenſationem à Pontifice impetrauerat, de iureiurādo quo ſe promiſerat ſeruaturum vobis veſtra priuilegia: in quo non tantùm fidem fregerat, verum etiam nimis credulam aurem pernicioſis quorun-

Conuentus ordinum denegati.

Rex accipit diſpenſationem à Pontifice iuramenti præſtiti feſto introitu.

dã consiliis præbebat, ostẽdebatq́; quãta sua esset prudentia. Nã si se solutũ iureiurando vobis præstito credebat, non succurrebat vos vicissim iuramento ei præstito solutos esse? Itaque dum se absolutum sacramento erga vos vult, ne vos quidẽ obsequium ei præstare tenemini. Vt interim quęstionem hanc doctioribus disputandam relinquã; sit'ne ea Papę auctoritas, & nunquid in rebus humanis certum sanctũq́; futurum sit, si iuramenta tam religiosè cõcepta huiusmodi prætextu violari possint? Eodẽ tempore matrimonia extra Belgium interdicebantur: & quod antea inuisum erat atque inauditum, vetabantur literarũ studiosi, bonarum artium causa, ad exteras academias proficisci; præterquam Romam: qua re damnabantur reliquæ orbis nostri academiæ; quo quid fieri potest arrogantius? atque adeò (quæ erat eorum imprudentia) ipsæ scholæ Iesuitarum: & quod omnium est teterrimum, viam ad barbariem sternebant. Nam quemadmodum frequentatio excellentium virorum in omni genere scientiæ, multa nobis hisce in regionibus peperit felicissima ingenia, quibus hæ prouinciæ sunt nobilitatæ: sic nec edicto hoc aliud agebatur, quàm vt temporis successu, crassa rerum omnium inueheretur ignorantia. Vt taceam quòd hac ratione patriam subiecerint inauditis quibusdam legibus. Publicatum est etiam eisdem tẽporibus Concilium Tridentinũ; quod concilium, adeò Gallis etiam visum est iniquum, vt hactenus eodem illo in regno promulgari non potuerit.

Omnes orbis academiæ studiosis interdictæ præter Romanam.

Publicatio concilij Tridentini.

Aliquanto antè actum fuerat, atq; impetratũ, de

Episcopi recens fabricati.

de inuehendis nouis Episcopis; quę res multo antè tempore fuerat ventilata, propter ea incommoda quæ prudentiores Reipub. studiosi, & tyrannidis huius inimici sequutura inde præuidebant; quemadmodum ipse literis meis regi significaueram: vt nihil interim dicam quos sermones hac de re habuerim apud Ducissam frequenti concilio & alibi. Quæ non aliò pertinebant, quàm ad stabiliendam crudelissimam illam inquisitionem Hispanicã, cuius episcopi essent inquisitores, corporũ carnifices, & conscientiarum tyranni. Scio eos infitiari, voluisse se inquisitionem inuehere. Sed quid si virum fide dignũ id temporis Franconatũ Pensionarium adduco, bis ad equuleum raptum, vt tormentis ex eo quæreretur, qui fuissent senatores illi, Franconates, qui sententiam dixissent de recusanda inquisitione? nunquid falsum testẽ allegari dicere audebunt? & tamen is est cui obiici nihil possit; quanquam si res ita postulet, difficile mihi futurum non sit euidentibus argumentis ac testibus id probare. Sequuta sunt atrociora edicta, quibus etiam cauebatur ne quid de pristina seueritate remitteretur. *Edicta renouata.* Et certè bulla Papalis inaugurandis episcopis comparata, inter alia habebat, ius esse vnicuiq; Episcopo in sua Ecclesia Cathedrali conferendi nouem præbendas, & vnumquemq; canonicum in causa inquisitionis episcopo teneri adesse, sed nominatim vt ex ipsis duo reipsa essent Inquisitores.

Et quemadmodum bello subactis prouinciis tributum victoriæ argumentum à regibus imperari solet; sic & Albanus in signum propagati imperij

perij (ſic enim vulgo dictitabat regiones haſce regi eſſe non hæreditarias, ſed bello partas) vt inquā toti orbi ſignificaret, qua cōditione Belgium hoc noſtrum ſubiugaſſet, imponit ei mandato ſui Domini decimas in perpetuum duraturas, idq; abſque conſenſu ordinum, ciuitatum, & prouinciarum. Iamque animo eius fixum certumq; ſederat per vim ab inuitis decimas extorquere, cùm intelligit generoſa quædam pectora exurrexiſſe: ac iam in ipſo temporis articulo (in quo operæpretiū eſt animaduertere ſingularem Dei prouidētiam) quo nuntium accipit de occupata Brila, conſtituerat ea nocte quæ diem illum proximè eſt conſequuta, primos ac honeſtiſſimos ciues Bruxellanos morte multare, propterea quòd tributo illi per vim contra priuilegia impoſito ac promulgato, obuiam ierant. Tortori cui nomen erat Carolo diſertis verbis mandatum erat haberet in promptu ſeptemdecim laqueos, & ſcalas decē aut duodecim pedum longitudinis: miles in armis habebatur; Fredericus Albani filius in domum Præſidis Viglij ad ratificandam ſententiam damnatoriam venerat, cùm adfertur lætum illud ciuibus Bruxellanis nuncium. Inter eos qui morti fuerāt deuoti erat vicarius Ammanni, quòd eos qui imperiū recuſaſſent ſupplicio afficere noluiſſet. Neq; enim pium putabat Albanus fidem quam vicario dediſſet frangere, cùm ei paulo antè Hiſpanicis verbis mortem eſſet comminatus *Por eſtas, ſi vos no lo hazeis, yo os hare a horcar*: hoc eſt per hāc tibi barbam iuro, (& barbam manu prendebat) ſi non facis, ſuſpendendum te curabo. Ad quæ cū

Imperata decimæ inuitis ordinibus.

vica-

vicarius quæ visum esset pro tempore respondis-
set, *Los iuezes* inquit *son vellacos : basta que yo os lo*
mande ? id est Magistratus vestri nebulones sunt:
Secunda Principis expeditio. non tibi sat est quod fieri impero ? Et fateor me
eodem illo tempore partim à bonis iterum solici-
tatum, partim iurisiurandi atque officij mei erga
Rempub. ratione adductum, secundã expeditio-
nem suscepisse : de qua quid attinet dicere ? cùm
nemo vestrûm nesciat quæ fuerint queque adhuc
sint expeditionis illius effecta. Quòd si ergo con-
siderare voletis, ornatiss. Domini, ea quę ab Alba-
no ante belli huius initia sunt gesta, quàm iustas
tum mihi, tum Hollandiæ & Zelandiæ ordinibus
capessendorum armorum causas dederit; quid il-
le; quid Ludouicus magnus Commandador pa-
trarint vsque ad eam diem qua rebellarũt Hispa-
ni, & quemadmodum me ex eo gesserim: non re-
cuso quin iudicetis ac statuatis prout vobis visum
fuerit. Quid tamen de me, quid de illis sentiretis
abundè profectò declarastis vel fœdere Ganda-
uensi, vel exacto eiectoque Austriaco; vel tã mul-
tis actionibus atque argumentis, vt plura deside-
rare non possim; vel postremò quòd abdicare me
magistratu meo cupientem, non permisistis.

Veniam igitur ad ea quæ in crudelissima sua
proscriptione secundo loco ponunt, videlicet ad
ea quæ acciderunt ex quo Hispani hostes ac rebel-
les sunt iudicati.

Eo tempore de fœdere Gandauensi & actum
& transactum est, tanta omnium prouinciarũ &
ciuitatum publica lætitia, vt post hominũ memo-
riam nulla similis extiterit. Quæ amoris ac bene-
uolentiæ

uolentiæ ſponſiones ; quæ conſiliorum ac rerum omnium communicationes, fœdere illo comprehendantur, iuxtà mecum licet recordemini. Sed ipſi illi qui quantum virus pectori incluſum gererent poſtea ſatis oſtenderunt, cùm tamen ex eorũ eſſent numero qui cum nôſtris, Hollandiæ & Zelandiæ Delegatis, in contractum venerant; iam tum cùm illa tractabantur quaſcunque poterant remoras obliquis modis iniecerunt, quo ſubnaſcentem concordiam in ipſa herba (quod aiũt) opprimerent: quod citra controuerſiam perfeciſſent niſi capiti ſuo metuiſſent, ac non omnis populus & prouinciæ qui in fœdere hoc verſari cardinem recuperandæ libertatis ac priuilegiorum ſuorum proſpiciebant, vno ore facere eos coëgiſſet.

Et quoniam in illa ſua proſcriptione, atque in aliis pleriſq; putidulis ac famoſis libellis & clandeſtinis literis, fœderis huius violationem crebrò nobis obiiciunt: videamus quàm ſanctè ipſi illud ſeruarint. Vix iuratũ fœdus illud fuerat, cùm Dominus de Hauſſy decreto veſtro, ſæpius in Zelandiam ad me proficiſcitur, rogitans militũ auxilia, tormenta, puluerem & alia belli inſtrumenta quæ ad oppugnandam arcem Gandauenſem, Hiſpanicæ tyrannidis acropolim, fuerant neceſſaria: quod & impetrauit. Sed homo quidam, & genere & patria ſua indignus, qui ſibi temperare non poſſet, iam tũ virus ſuum cœpit euomere, & conuiciis ſuis nobilẽ illum proſcindere, cui pro meritis gratia magna debebatur: ea enim res libertatis aditum aperuit, cum vniuerſo Belgio, tum Comi-

tatui Flandriæ, & maximè ciuitati Gandauẽsi, cuius ceruices arx illa tam longo tempore presserat. Nec per Zweuiganum stetit, nec per Comitem de Reux, nec per Mocqueronum & alios nonnullos quin Hispani adhuc cruenti cæde & graues pręda Antuerpiana, eandem cladem ad Gandauẽses adferrent. quod profectò fecissent (vt literæ Rhodæ & aliorum quorundã testantur) eã nisi auxilia illa in tẽpore à nobis summissa auertissent. Hinc igitur patet, quemadmodum boni illi viri dum adhuc præconis voce, concordia publica promulgatur, eandem turbare atq; infringere sint aggressi. Dum hæc geruntur, Austriacus in Belgium venit. Et quamlibet hîc dissimulare & fucũ veritati inducere conetur aduersarius; nónne literas apud me habeo, regis manu et secretarij eius suscriptas, & sigillo ipsius consignatas, quæ testantur quid Austriacus in mandatis habuerit? Nónne passim orbe toto sunt publicatæ? num quis Hispanus inuentus est qui eas in controuersiam vocare fuerit ausus? Illis è literis didicimus hanc inter Austriacum, Albanum, & Ludouicũ de Requesens fuisse differentiam; quòd ille vtroque hoc iunior esset, & stultior, nec potuisse virus suum diu cælare, mãdata dissimulare, & cohibere manus prurientes desiderio fundendi nostrum sanguinem. Nihil opus est, viri Belgæ, persequendis singulis epistolæ huius capitibus; aures vestras morari; cùm vulgò iactentur ac ne pueris quidem sint ignotæ: & tamen quamuis hæc in lucem edita omnium oculis exponebantur, quamuis confœderati cognoscebant, sciebant; inueteratum tamen eorum odium

odium erga miſerum populum tantum erat; in eamque conſuetudinem venerant auxiliandi iis qui priuilegia veſtra opprimerent; ſeruire tyrannidi adeò ipſis in naturam trāſierat, vt inſtar furore ſpumantis apri, in venabula ſanguinarij pectoris Auſtriaci ſponte ſua ruerent. Pacta cum eo faciūt, contra ſententiam meam & ordinum Hollandiæ & Zelandiæ, contra iuſiurandum à ſe præſtitum in fœdere Gandauēſi. Et nobis iſti obiectare fœdus & iuſiurandum audent, qui mihi, Hollandis & Zelandis hæc vincula ideò paraſſe videntur, vt nos tanquam indagine clauſos atque irretitos tenerent, interea dum boni illi & fidi fœderatores, effractis omnibus fidei ac legum repagulis, quidquid animo libuerit faciūt, admittunt, perpetrāt? Reſpondebunt ſe effeciſſe vt Auſtriacus promitteret diſceſſum Hiſpanorum: quaſi caput fœderis noſtri in eo vertatur. Atqui priuſquam cum Auſtriaco paciſcerentur, non oportuit eos me in præfecturis meis collocaſſe, poſſeſſiones reſtituiſſe, filium qui in captiuis erat reddidiſſe? Quid ergo? an horum quicquam fecerunt? tentarunt? cogitarūt? Et tamen pleroſque eorum ſanguinis propinquitate filius tangebat: nihil horum: lōgè enim aliud ſpectabant; quemadmodum argumento eſſe poſſunt tot conſilia ad opprimendam ſalutem meam inita, ad ſubiugandam Hollandiam & Zelandiā, cùm ſcirent me ſolum cum ordinibus vtriuſq; illius prouinciæ ſupereſſe qui pernicioſis eorū conatibus apertè reſiſterem, quibus nitebātur in locum Hiſpanorum venire, eandemq; tyrannidem vſurpare quam antè Hiſpani exercuerāt; et quem-

admodũ ſibi videbantur maiore poteſtate & au-
ctoritate, quia in ſua eſſent ditione certa etiã im-
punitatis ſpe. Prouoco de his, ad commenta-
rium legatorum, qui ad me miſſi fuerant Geer-
trudimõtem; quem ſi vſus ferat exhibere poſſim.
Iiſdem illis temporibus, legationem ad Reginam
Angliæ mittebant, quæ Principem illam prauis
de me opinionibus imbueret, perſuaderetq́; bellũ
mihi & ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ infer-
ret: ſed quia falſa eſſe ea quæ ferebantur cognoſ-
ceret, & ſingulari quadam prudentia Princeps ea
eſſet prædita, multo aliter quàm iſti ſperaſſent,
decreuit. Vt in pauca conferam, omnem mouebãt
lapidem vt iiſdẽ artibus tyrannide qua modò vſi
fuerant Hiſpani graſſarentur. Atque hæc eſt reli-
gioſa eorum obſeruatio fœderis Gandauẽſis, iam
inde ab ipſo principio. Iam quod ad Hiſpanos,
quos Auſtriacus ſe dixerat dimiſiſſe: videbant (ſi
quid modò mentis ſuperabat; neque enim qui ſi-
gnificarent deerant) alios Luxemburgi hærere, a-
lios in Burgundia, alios in Gallia prætextu belli
ciuilis redintegrati: vt data teſſera, id quod res de-
clarauit, momẽto tranſuolarent. Nec interim etiã
ignorabant, quatuordecim millia Germanorum
veteranorum in principibus Belgij ciuitatibus ab
Auſtriaco in præſidiis eſſe relicta, eundem illum
cum Germanis colloquia agitare, hæc illis dicere,
alia quæ vellet vobis obtrudere; Antuerpianã ar-
cẽ deducto inde Arſcotio Duce & Principe Chi-
maio, Treſlonio in manum tradidiſſe. Videbant
inquam hæc omnia, & tamen operas tradebant,
fautoresq́; rerum Hiſpanicarum exſtiterãt, & fœ-
dus

dus Gandauense (si Deo placet) seruabant. Nam quòd dicit aduersarius, Austriacum iurasse; dabo etiam regem ipsum promisisse: sed quid hoc eorũ causam iuuat, ac non lædit potius? nam eodẽ tempore mandabant Austriaco (quod testantur eius literæ) vt fœdus rumperet. De Austriaco non diffitebor eum promisisse ac iurasse, sed cum conditione quam etiam pręsentibus quibusdam vestris Commissariis adiiciendam fuisse dicebat; nimirũ quoad eius non pœnituisset: quæ quidem conditio paulo pòst accidit. Nam iuuenis ille ratus in vado sibi rem esse, & in potestate sua habere principes ciuitates (quòd Germanos ibidem in præsidiis & plurimos proditores patriæ habebat) arcẽ Namurcensem (in quo Reginæ Nauarrenæ indignam faciebat iniuriam) de repẽtè occupat; quòd eum locum reducendis Hispanis apertũ sibi ducebat. Sed mox dedita vobis arce Antuerpiana, de spe sua decidit: quę res multorũ animos pro tẽpore ab eo alienauit fidẽ cũ fortuna mutantiũ. Nec quid ageret perplexis rebus inueniebat, quàm vt corruptis quibusdã vestris Cõmissariis tẽpus redimeret, & falsa spe, pacis morã traheret. Atq; vtinã, viri ornatiss. à religiosis ipsis pacti obseruatorib⁹, nõ fuissetis prohibiti cõsiliis nostris aurẽ præbere. Neque enim dubitari potest quin parua admodũ manu profligare Austriacum, Hispanos, & totam illam factionem potuerimus, & declinare tot mala quæ postea sunt insequuta. Velim igitur & hîc mihi dicant, an pactis Austriacus steterit, & confœderationem quam (vt illi loquuntur) tãta cum solennitate iurarat obseruarit: & qua tandẽ fronte

violationem fœderis Gandauẽsis mihi obiiciet, is qui nobis per Dominũ de Selles significabat rationẽ se illius nõ habiturũ. An ille priuilegio contra me vtetur, fruetur, cui ipsemet renunciauerit? quanquam si dicendum est, non cum illo, sed vobiscum, ornatiss. viri, ego ordinesq́ue Hollandiæ & Zelandiæ depacti sumus. Quòd si post toties & tot modis infractum fœdus, post necatos atq; eiectos falso criminis nomine ex sui dominatus vrbibus, optimos atque honestissimos ciues, idq; cõtra illud ipsum fœdus Gandauense; si, inquam, post tot hasce & tam graues iniurias, ad salutem et securitatem vestram pertinere iudicastis, nonnullos articulos extendere, mutare, atque adeò in vniuersum eos abolere ac rescindere voluissetis; quis tandem reprehendat vos vestris esse vsos, quemadmodum è re vestra fore iudicassetis? nisi fortè is qui iuramento suo tanquam laqueis abuti cogitabat, quibus vos implicaret? Nam quòd ex me mutationem factam criminantur, id vt dem esse, contendo me quòd ad eos qui mecum sunt pacti, fœderi non fuisse obstrictum, quando tot modis illud antè violarant. Et quoniam ex vestra parte consultum iudicastis mutationem fieri, tanta vobis potestas atque auctoritas fuit, hac de re quod velletis statuendi, quantum ius est domino in hæreditatem suam: nam fœdus illud vestrum erat, & pro arbitratu vestro vti eo poteratis.

Sed toties iam & verbo & scripto ostẽsum est, nihil in fœdere illo à nobis fuisse violatũ, vt actũ agam si pluribus illud persequar. Illud non dissimulabo, interdictum fuisse Hollandis & Zelan-

dis

dis ne quid in aliis regionibus innouarent: ſed reliquos ordines in ſuis prouinciis, rebus ſuis quaqua ratione conſulere non potuiſſe, id verò nuſquam cautum reperietur; quod ex vndecimo & duodecimo articulo manifeſtè patet. Et quidem in ipſo fœdere faciundo, cùm noſtrarum partium quidã, alterius partis principẽ virum monuiſſet, fieri poſſe vt huiuſmodi tempora inciderent, ac proinde ſatius eſſe, libertatem aliquam permittere prouinciis, quarum cauſa in contractum venerant: reſponſum tulit non eſſe quòd ea de re eſſet ſolicitus: neque enim Brabantiam, Flandriam, atque alias prouincias religionis mutationem vnquã poſtulaturas. Quòd ſi eos ſua fefellit opinio; quid cauſæ eſt cur in nos furiosè incurſent? Idem ego illis quoque reſponſum affero, in cauſa mutationis factæ in quibuſdã ciuitatibus noſtræ præfecturæ: etenim Deum teſtari poſſum, nec ſuaſu nec conſenſu meo eſſe factam, & pleraque mihi valde diſplicuiſſe, quemadmodum & in Flandria. Sed hoc defendo, ſi qua fuit militaris inſolentia, ludum iocumq́ue præ illorum intolerabili tyrannide fuiſſe: & tamen abfuit perfidia, abfuit proditio, abfuerunt clandeſtina cum Hiſpano colloquia; quæ omnia apud inimicos noſtros eſt inuenire. Etenim nónne armata manu bellum in nos contra fidem ac promiſſum mouerunt, confœderatos ſuos inuaſerunt, biduum ante quàm conſtitutum fuerat cum hoſte collatis ſignis confligere? Nónne coniurationem ſuam aduerſus confœderatos factam exequuti ſunt, quo tẽpore Traiectum ad Moſam ab hoſte obſidebatur? Quo fa-

cinore quid dici poteſt magis deteſtandum? Quo tempore à confœderatis obſeſſæ ab hoſte vrbi auxilium maximè expectabatis, vrbi cui fidem iurauerant, à qua nec re nec verbo vnquam fuerãt læſi; ea inquam rerum veſtrarũ difficultate non tantùm ſcelerate vos deſerunt, verumetiam ſumma vi oppugnant. Memoratur Suffetius quadrigis diſcerptus, quòd ſociis Romanis cum hoſte pugnantibus ſe loco non mouiſſet; ſed pugnæ ſpectatorem præbuiſſet. Quæ crux igitur, quod ſupplicium, hac tanta noſtrorum hominum perfidia ac perduellione ſatis dignum excogitari poteſt? At quorum perfidiæ? eorum qui Comiti Manſfeldio, qui Viglio, qui Fõctio, Aſſonuillęo, Bertęo & aliis conſiliariis Status, manus tum iniecerant, cùm tam arcto nondum vinculo inter nos eſſemus obſtricti quàm poſtea fuimus; cumq; nondum veniſſem in Brabantiam: eorum inquã qui ea conſilij apprehenſione teſtatum orbi relinquebant quid de actionibus regis, deque eius conſilio ſentirent. Veſtris iudiciis conſiderandum relinquo, viri grauiſs. quid penſi aut quid omnino cogitationis habeant tales, qui non vident ſe dum nobis bellum faciunt; eorum cultros acuere quos in vincula coniecerunt, quibus poſtea iugulentur. Dicent fortaſsè, quòd non conſtituerim me inimicum eorum qui ex noſtris exorbitarunt. Equidem nullius vnquam probaui inſolentiam: verũ adeò me eſſe imprudentem arbitrãtur, vt quo ipſis placeam, viam ad interitum patriæ ſternam? atque ex Eſcouedo vatem faciam? An vnquam fando audierunt, prudentem patrem, filios perditum

iuiſſe

fuiſſe, quo inimicorum libidini ſatisfaceret? Ac nõ potius eius partes ſunt, errores corrigere, iiſdemq; correctis familiam conſeruare? Quid Bourſeus, Montigneus, & alij plures nónne mihi conſcij ſunt, quo ſtudio, qua diligentia, conatus ſim omnia in bonum ordinem atq; εὐταξίαν redigere? An capita petitionum ſuarum, ab ipſis contra iuſiurandum poſtea violata, quemadmodum ipſimet voluerant, conceſſa ac condonata fuiſſe ſunt obliti? fuit igitur furor merus, ſtultitia, ambitio, & odium religionis, & dominandi libido, quæ ipſos tranſuerſos egerunt; quæ cùm eos primũ in illud facinus impuliſſent, prętexere poſtea fœdus Gandauenſe cœperunt. Scio enim viri ornatiſs. quantum ſudauerint, dum defectioni ſuæ cauſam ſaltẽ non ineptam quærunt, & quemadmodum quidã è plebe Centurio, ipſis cõſilium ſuggeſſerit, quod ſtatim ſunt ſequuti.

Credo ego, multis mirũ videri poſſe, viros bono loco natos, talibus ortos parentibus, adeò ſui oblitos, vt tot probris onerare genus ſuũ non reformidarint; ſed nec credibile viſum iri, tantam eorum animis ſediſſe inconſtantiam: nec certè poſſum, quin pro mea parte eorũ vice doleã, tum propter amicitiam quę mihi cum parentibus ipſorũ (quos honoris cauſa nomino) aliquando interceſſit; tum quòd eorum virtutibus, exiſtimationi ac dignitati impẽdiò ſemper faui (cui profectò meliùs conſuluiſſent, ſi vel ad breue tempus ferre partẽ aliquam calamitatum patriæ ſuſtinuiſſent:) ac optarim adhuc eam ipſis mentem dari, vt prudenti reſipiſcentia præteritum errorem corrigerẽt. Sed ne

nimis multa de eorum factis seorsum loquar, quæ omnium oculis exposita non sunt, & tamen plena sunt leuitatis: si ea tantùm considerãda sumamus quæ vulgatissima sunt, lippis (quod aiunt) & tonsoribus nota: quis non admiretur consilij eorum rationumque vel inconstantiam vel vanitatem? Seruiunt Albano & Ludouico Commandadori, vt mancipia; me summa vi atque ope oppugnant. Paulo pòst paciscuntur mecum, reconciliãtur; eccum inimicos Hispanorũ factos. Redit Austriacus: hunc sequuntur; huic seruiunt, mihi interitũ machinantur. Frustratur Austriacus spe potiundę arcis Antuerpianæ: illum deserunt, me accersunt. Commodùm veni: cùm illi iureiurando suo valere iusso, re nec mihi, nec vobis communicata, Archiducem Matthiam aduocant. Venerat: vidẽt hac parum succedere, relinquunt eum; nec negotio saltem ipsi indicato, Ducem Andegauensem accersunt, adducunt, aureos montes pollicentur. Vident se non posse ei persuadere, vt se belli ducẽ aduersus vos & euangelicos profiteatur; hunc etiam deserunt, & ad Principem Parmensem confugiunt. Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, quantas commutationes, perturbationes, æstus, istorum habet ratio consiliorum? Qui se tam excelso loco positos, eo gradu collocatos, iis præsidiis munitos putãt, vt tutũ sibi esse credant, tãtos ac tales Principes ludificari? Quare si talia fecerunt, quemadmodum fecisse omnibus cõstat, nihil tam vanum aut leue putare debetis quod non aggressuri videantur. Nã quid fieri potest ab omni ra-

ni ratione & humanitate alienius , quàm quòd tã vili tamq́ue abiectæ proſcriptioni huic conſenſerunt, in eius vtique caput comparatæ, qui principibus inter eos viris quibuſdam bona reſtituenda curauerim: & nondum (mihi credite) viri Belgæ, omnium dierum Sol occidit. Nam niſi (quod equidem velim) ad ſe redeant, videbitis eos decies & eo amplius vela (quod aiunt) vertere funemq; reducere, priuſquam tragœdia hęc ad exitum perducatur.

Iam quòd obiiciút *me per vim ac tumultum curaſſe præfecturam Brabantiæ mihi deferri*: meminiſtis (ſcio) Belgæ nullum me vnquam verbũ vobis feciſſe, nedum vt id fieret contendiſſe: quin recordari poteſtis quàm diu, multumq́ue oblatã recuſarim, & quas recuſandi eius cauſas attulerim. Atque adeò, quemadmodum de dignitate præfecturæ generalis veniam ac ſententiam rogari voluerim ducum atque optimatum exercitus noſtri, qui paulo pòſt (non dico cuius culpa) fuſus fuit ac fugatus; quam ſententiam ad me miſſam adhuc apud me habeo. Quod ſi è populo quidam nitebantur, vt hæc mihi præfectura deferretur, quanquam id nec rogatu nec ambitu meo ſit factum; fateri tamen debeo plura eos quàm tum ego, de Repub. præuidiſſe. Sciebant enim ſi committeretur Reſpub. Hiſpanicæ factionis hominibus, tantam ædificij molem arenoſo & inſtabili fundamento exædificatum iri. Non minus falſum eſt, quòd dicunt me per tumultum Gandauenſem, Flãdriæ præfecturã ſuffragiis eſſe adeptum: planè enim quid hac in parte actum ſit ignorant: ſiqui-

dem à quatuor membris electus ſum non ſemel, ſed ſæpius;non in ipſo tumultu,ſed pacatis poſtea rebus ; & à me & à vobis obnixè contenderunt; nec tamen vt acciperem hactenus impetrare potuerunt.

Sed nec ęquum eſſe arbitror,me de pecunia reſpondere, quæ à vobis eſt collecta,quæque de ſententia veſtra diſtributa, & eadẽ auctoritate à quæſtoribus , receptoribus , & magiſtris ærarij ſic tractata eſt,vt nec ego,nec mei vel oculum in eã coniecerimus.Sed ſi cui probro danda hæc res eſt,cui iuſtius quàm hoſti detur ? qui huc neceſſitatis vos adegit, vt expediendæ ſalutis veſtræ viam hãc inire cogamini? Et, ſi ille vt damnum inferat , tyrannidem exerceat , libertatẽ veſtram opprimat, tantos & tam ingentes ſumptus tolerat : quid-ni ad auertendum damnum, ad cohibendam tyrannidem , conſeruanda priuilegia, libertatem nullo ære æſtimandam,ſumptũ aliquẽ faciatis ? Quid? ſi extremus as & quidquid habemus ſanguinis, in bellum hoc profundendum foret ; quid præter officium faceremus?& cuius non plurima ac pulcherrima extent in hiſtoriis exempla,tum externa tum domeſtica? Sed tantum abeſt vt contribuendo defatigari debeamus,vt quia hoc eos malè habere cognoſcimus , tantò maiori ſtudio in hoc ſit incumbendum.Nam quòd criminãtur meo iuſſu atque imperio,quoſdam in neruum coniectos, ac necatos , propterea quòd contributionibus eſſent refragati ; huiuſmodi (opinor) eſt vt reſponſionẽ non mereatur,pręſertim apud vos,qui planiſſimè ſcitis meram hanc eſſe calumniam ; nec ignoratis

ſæpius

ſæpius mihi lenitatem meam ac nimiam patientiã in tolerandis peruerſis quibuſdã ingeniis, à quibus res noſtræ clãdeſtinis ac vafris rationibus turbantur, maiori vitio mihi eſſe datam, quàm de rigore & ſæuitia vel ab inimicis ipſis accuſor. Nam ſi vera eſſent quæ obiiciunt; plerique etiam nunc magnifica fundunt verba, quos difficile non fuerat coërcere: & tamen hujus conſuetudinis adeò me non pœnitet, vt gaudeam eo me fuiſſe animo, vt iniuriam accipere potiùs, quàm inferre maluerim: nihil dubitans quin iuſtiſſimus ille iudex Deus, in caput proditorum illorum, ac perfidorũ, qui nobiſcum panem edebant, & conſiliis noſtris participabant, & nunc cum hoſte conſilia conferunt, malè vertat, ac mercedem rependat malitiæ ipſorum; vt reuera Nemeſis iam ipſis in dorſo eſt, nec reſpirare eos patitur ſtimulante conſcientia maleficiorum.

De negotio Domini de Selles; quod nihil niſi meram fraudem ac ſimulationem fuiſſe compertum eſt; veſtrum illud crimen eſt, viri Belgæ, qui tam prudenter res eius detexiſtis, quiq; ei oſtendiſtis non omnes qui Hiſpaniã non viderunt, eſſe pecudes, quemadmodum ille & eius ſimiles arbitrantur. Veſtra inquam illa eſt accuſatio. Fateor me idem ſenſiſſe quod vos, non plus ei fidei fuiſſe adhibendum, quàm impoſtori cuipiã, ex fraudibus conflato, & turbãdis rebus organo ſelectiſſimo. Quod vt crederem, nihil tam fecit atque ille ipſe. qui cùm me diceret apud regem in tanta eſſe gratia, vt ex vniuerſa nobilitate de nullo melius ſentiret quàm de me, cuiusque opera plus vti cogitaret;

gitaret;effecit vt magis magisque crederem capite meo illis esse opus, si tanti illud vendere constituissem, quanti mancipium illud Hispanicũ per-
, suadere mihi conabatur. Confiteor inquam me in
, eadem sententia vobiscum fuisse; & bene pruden-
, terque factum à vobis iudico, qui ad exemplum
, Vlyssis Sirenibus illis Hispanicis aures obstruxi-
, stis. Sed quid me dico ita sensisse? infelices isti qui tam execrandæ proscriptioni consenserunt, nónne mecum iuxtà restiterunt? iidem illi magistratus, per quos proscriptio illa publicata est, nónne Dominum de Selles cum omnibus suis mendaciis facessere iusserunt? Quod vnum argumentũ sufficit ad refutandum id quod de mutatis officiariis Catholicis dictitant. Atque vtinam potuissem, ac nõ præcipiti quorundam consilio fuissem prohibitus, mutationem hanc in omnes prouincias introducere; neque enim ea malorum ilias esset consequuta, in quam ex prouinciarum dissipatione incidimus; & à qua periculum est, ne cum pernicie communis patriæ indies incrementa sumat. Illud saltem fore spero, nisi prouinciæ quę tã turpiter à nobis defecerunt, maturè resipiscant, mortalibus omnibus documento fore, verissimã esse sententiam, *Consilium malum consultori esse pessimum.* Quare hoc loco, nec me nec vos fatigabo Domini, confutando eam calumniam qua me criminantur, priuata auctoritate magistratus passim in ciuitatibus creasse. Siquidem quibuscunq; in locis magistratus nostro ministerio sunt mutati, in hoc certè vt qui à vobis essem legatus, nihil præter mandata vestra sum exequutus, nec contra

leges

leges ac priuilegia quicquam feci. Viros certè bonos, honestos, primo inter suos loco, incolumis famæ ac conscientiæ, & in primis patriæ amantes, introducere me voluisse non negabo. Sed quid eos malè habeat scio: stomachantur videlicet me non prouexisse homines suæ factionis, fidei, & pietatis erga patriam nescios; sanguinarios, tyrannidis suæ mancipia. Atque hoc est, quod illo suo nomine tyrannicam ac barbaram confusioné appellant; nimirum Reipub. nostræ administrationem ad regulam legum nostrarum directam: quæ leges ab eorum tyrannide (vt Grçco vtar prouerbio) δὶς διὰ πασῶν dissident. Quanquam quid opus est ad huiusmodi obiecta respondere, cùm aduersarius abundè pro nobis ipse respondeat? Nam qui tandem illi sunt officiarij, aut ministri quos nos abdicasse dictitant? Erant (inquiunt) *bene affecti erga regẽ*: hoc quid est aliud dicere, quàm erant strenui hostes patriæ? Ex quo intelligi potest, quàm fuerit plerisque in locis necessarium eos immutari.

Exprobrant, *magnam mihi fidem atque auctoritatem esse apud populum.* Cuius adeò me non pudet, vt valdè doleam non esse maiorem; hoc est, non posse me ipsis persuadere, id de quo toties tũ voce, tum scripto ad eos retuli. Quod si mihi credere voluissent, olim iam, olim ab Hispanica ista colluuie Belgiũ repurgassem. Sed si tales sunt ipsi, quales se dicunt, & is sum ego quem depingũt, (vt gratiam hanc eis faciamus) necessum est vt fateantur superbiam suam ac tyrannidem per omnia valdè importunam fuisse; quòd in tantũ eius

populi

populi odium incurrerint, qui prius tantopere ipsis erat addictus, quique se tam fidelem erga ipsorum maiores, nec non erga ipsos nepotes, præstiterit, antequam tam superbè cœpissent dominari. E contrario, si me populus libertatis suæ assertorē ac vindicem esse voluit, quid aliud dici potest? quid dicent exteræ nationes? quid aliud iudicabit posteritas, quàm quòd senserit commune Belgarum, fuisse aliquid in me quidem dignum gratia, amore, & beneuolentia; in illis verò dignum odio capitali? Confitebor illis igitur, me & esse & fore semper popularem; hoc est persequuturum, propugnaturum, defensurum libertatem vestram & priuilegia. Atq; hoc est ingeniosissimum illorum hominum acumen, vt cùm conuitium studeant facere, tum maximè nos laudent, ac cōmendent. Illud certum est, quinque vel sex eiusdem coniurationis malè feriatos homines, inimicos vestræ libertatis (quorum consilia, curæ, cogitationes in hoc vno consumuntur; vt vos in seruitutem ac tyrannidem suam redigant, multò futuram si non crudeliorem, at certè indigniorem, contemptioremque quàm fuerat illa Hispanica) ex suo ingenio ac peruerso animi sensu, reliquorum iudicia metiri, & quod ipsi probarint neminem improbaturum putant: sed cùm ad iustam ea trutinam expensa fuerint, deprehendent rationem sibi malè esse subductam. Nam quem hac lucis vsura indignum iudicant quòd publicis commodis studeat (quid enim aliud est bonum publicum quàm bonum populi?) eum stultitia sua tanto cariorem atque honoratiorem efficient, quanto maiori in

pretio

pretio apud populum futurum probabile est, eum qui ipsius salutem propugnat, quàm qui opprimit.

Hic verò etiam illud prætermissum ab illis demiror, quod complures ineptuli eorum scriptores in famosis suis libellis sunt ementiti, nobilitatem nobis inuisam esse. Quid? an odisse me primùm ipse incipiam? an cognatos meos & consanguineos? sumus enim omnes, Dei beneficio, nobili, ac illustri genere oriundi, adeoq; antiquo, opulento, honorato, vt verendum mihi non sit ne inimicorum meorum plerique se mihi præferant, æquent pauci. Sed res atque experientia probauit, vt pro virili mea parte nobilitatem semper promouerim. Quòd si multo antè præuidi ambitiosa quædam ingenia, quæ à nobis postea defecerunt, præfecturas ac imperia affectare, quò postea patriam desererent ac iusiurandum suum violarent: si, inquam, perspecta eorum leuitate, vanitate, inconstantia, atque animis, meram tyrannidẽ spirantibus, promouendos eos non putaui: atque ita maximè seruare studui maiorem, meliorem & saniorem ordinis nostri partem; non hinc conficitur (opinor) me odio atque contemptui habuisse nobilitatem. Sed ruinam Reipub. quæ illinc sequutura videbatur, nimirum præuenire volui. Si patres eorum, viri vtique sapiẽtiores, fortiores, & meliores quàm sunt ipsi, & quibus amicissimis sum vsus, adhuc luce hac fruerentur; vitam scio relinquendam sibi putarent, potius quàm filios suos aspicerent, à constantia & virtute maiorum suorum (quorũ vita laudabilis & sine probro fuit)

tantoperè degenerantes: si viderent, inquam, nullum esse in terris locum, in quo non habeātur pro inconstantibus & magnis mercatoribus: si Hispanos ipsos videant, quibus seruiunt; si Cardinalem rerum suarum proram & puppim, eis tanquam mancipiis abutentem, vt pueros regentem, vt pecudes circumducentem, ac tantisper spe lactantē, quoad tēpus moneat, statuas, instrumenta, vestē, stragulam, ac aliam supellectilem ab illis sibi ereptam reposcere, ac cùm idoneos lanienæ senserit ad præsepia mactare, quemadmodum ex Cardinalis literis apparet propria eius manu scriptis, quas vos, Domini, vidistis & recognouistis. Et quoniam inimicus meus, quasi auctoritati suæ diffisus, nec titulorum suorum pondere opprimi me posse credens, insuper Imperatoris titulos, & quorundam Electorum ecclesiasticorum adiungit: asserens *eos adeò æquos proposuisse articulos, vt omnes sani iudicij homines pro talibus eos sint habituri*: non poterāt verbo disertius dixisse vos, quid dico vos? imo omnes prouinciarum nostrarū populos, qui articulos illos tanquā ineptos, captiosos, & iniquos vno ore reiecerunt, iudicij ac rationis expertes esse. Sed cui se probaturos sperant, populum tam diuturno bello attritum, tot malis afflictum, pacem repudiare, paululum modò æquiorem? Tā bonos, imò nimis bonos ac patientes subditos, nolle cùm Principe suo in gratiā redire, nisi quia videant huiuscemodi reconciliationes ad se inescandos esse comparatas? talem ego pacem, nō paulò deteriorem quàm bellum dixero: & mellitas illas linguas, ferri acuminata cuspi-
de ma-

de magis eſſe reformidandas. Fieri poteſt vt Imperator, quia huiuſcemodi leges in hæreditariis ſuis regionibus eſſe credat idoneas, exiſtimet & his noſtris conuenire prouinciis. Imperator de Repub. noſtra ex hoſte noſtro didicit, ex proditoribus, qui inter nos verſabantur, qui prætextu legationis Colonienſis res veſtras euertere moliebantur. Imperator, reliquos principes certiores facit, quibus pro oraculo eſt, quod inde ſit profectum. Sed vos Domini qui ſtatum huius Reipub. penitiùs noſtis, qui commoda & incommoda, qui veras conſeruandæ aut perdẽdæ eius cauſas, tanquam nomen veſtrum tenetis, quorum bona ac fortunæ aguntur, qui iure diuino atque humano iis tenemini, aliter profectò iudicaſtis. Rogatus eſt populus vniuerſus, ſummoque conſenſu conditiones illas tanquam nimis iniquas reiecit, idq; non in vna ciuitate, ſed in omnibus. Petiuimus ab Imperatoria Maieſtate, à Rege Galliæ, Regina Angliæ & Rege Luſitaniæ, vt pro nobis de bona pace apud Regem intercederent; ſed hoc ita eſſe accipiendum, quaſi eorum arbitrio nos permiſerimus, neminem rerum humanarum peritum iudicaturum arbitramur.

Quòd autem articulos illos publicari prohibitos queruntur; veſtra potius bonitas ac patientia laudari merebatur, quòd non grauiter animaduertiſtis in eos, qui ſine veſtra auctoritate publicare eos ſunt auſi. Tantum autem abeſt, vt ne vulgarentur timuerimus, vt etiam typis mandandos cum eorum abrogatione curauerimus. Perq; omnes prouincias ac ciuitates miſſi ſunt, vt de illis

consultaretur, ac sententiæ dicerentur, quas vos consentientes retulistis. Sed permultum interest, vtrum quid lege ac ordine communicetur, & auctoritate magistratus vulgetur; an à minutis speculatoribus quibusdam libelli passim dissemi- nentur, & an quidam Coloniam à vobis legati acta cum hoste cui vos & patriam simul prodiderant, clam in vulgus emittant, quemadmodum ex ipsorummet literis apertè videre est. In quo non ero longior, propterea quòd in lucem edita atque omnium oculis subiecta sunt.

Sed nihil perinde eos mordet vt fœdus inter Prouincias Traiecti ictum. quid ita? quia quæ nobis bona sunt, illis mala; quæ nobis salutaria, illis sunt perniciosa. Omnem suam spem in disiunctione nostra posuerant: Prouincias quasdam in suas partes iam pertraxerant; quæ totidem habent concilia quot sunt in anno menses: non paucos ex iis qui inter nos erant, rerum nostrarum pestes sibi deuotos habebant. Quod igitur remedium excogitari potuit certius, aduersus illam disiunctionem, coniunctione: & quod præsentius antidotũ contra discordiam, concordia? Quo vno politeumate, eorum coniurationes, nocturna consilia, secreta colloquia, vno momento fuerunt dissipata. Quo profectò declarauit Deus, Deus inquã pacis & concordiæ, quàm exosas habeat dolosas illas ac fraudulentas linguas, & quàm sibi sit non difficile tam abominanda consilia euertere. En, quàm egregium illis campum exclamandi & insaniendi aperio. Fateor me coniunctionis & concordiæ illius auctorem extitisse, confiteor promouisse, pro-

fiteor

fiteor seruare atque retinere studuisse. Dicam etiã amplius, & ita dicã, vt non tantùm ipsos, sed vniuersam Europam audire velim. Retinete concordiam, seruate concordiam, idque facite non verbo & scripto tantùm; sed vt re, atque facto appareat, vos id agere quod sagittis illis in vnum fascé vno vinculo colligatis, ad declarandam prouinciarum cõfœderatam vnitatem, sigillo vestro insculpi voluistis. Eant nunc, & accusent me confundere omnia voluisse, cùm constet in vnitatem redigere omnia studuisse; cuius quidem profectò facinoris nunquam me pudebit. Nam si dulci pacis nomine distractionem nostram moliebantur, si modò Atrebati, modò Montibus cõuentus habebãt, & blandis verbis producebãt, quo nos disiungerent, & sui similia ingenia ad se traherét: cur nobis non licuerit antè in vnum coire & concordi vinculo nos iungere? Nisi fortè vobis fas esse putatis malefacere & Rempub deserere, idq; obsesso ad Mosam Traiecto (ô ter stupidi, si vos oratione hac vulnerari, si cruentari, si faces admoueri nõ sentitis!) nobis eodem illo tempore benefacere & Rempub. conseruare fas esse non putatis. Discamus igitur hoc loco Belgæ, quid nobis vtile sit, & necessarium, & ab eo hoste discamus, quo nemo vnquam regionibus fuit infestior, nemo in toto orbe tyrannus truculentior.

Præter hęc, horrendum quoddam crimen obiiciunt, dignum videlicet proscriptione ista plusquam Syllana & Carboniana. Quæ res ea est? quòd *biennio toto Antuerpia non discesserim, quódque Traiectum sum profectus*. ô diligentes re-

rum nostrarum obseruatores! Quasi non hoc biennio bis in Flandriam iter susceperimus, atque ibi maximo eorum dolore, cum quatuor eiusdem prouinciæ membris Rempub. cõstituerimus, melius quàm illi vellent. Sed esto, toto illo biennio transuersum vnguem Antuerpia ne discesserim; cuiusmodi tandem illud crimē est, apud vos semper fuisse, vt ea facerem quæ vos mandassetis? Sed Traiectum abij. En malum, en vlcus: hoc enim illud iter est, quod eis pectus fodicat. Iā enim operis sui primas lineas sapientissimè duxerant, rerū suarum fundamenta certissima iecerant, toti sibi placebant; amicis scribebāt, tot prouincias ac præfecturas se tenere; cursitabant vltro citróque tabellarij; tot technæ, tot doli struebantur. Cum solo illo meo aduentu atque præsentia legatorum, prouinciarum ope & consilio stipata, tota illa nebula momento dissipatur, tot arces quas tyrannidi suæ reseruarant disturbantur, tot ciuitates nostræ firmantur, nec quicquam illis fit reliqui præter vnā, in qua erat suscepti negotij caput, quam tamen in potestatem suam redigere nō potuit nisi per summum scelus, interfecto eo quem solitus fuit appellare patrem, qui pridie cum eo cœnauerat, quemq́ue instar Iudæ proditoris ementito osculo circumuenerat. En causam, tantorum clamorum illicem, en Helenam de qua prœliantur.

Criminantur præterea *Ecclesiasticos quosdam à me esse fugatos*. Quod falsum esse mecum omnes scitis. Sed cùm illorum dux, qui Groeningis est, Euangelicos partim constrinxisset, partim iugulasset, & in his adeò Burgimagistrum, nulla habita ra-

ta ratione iuriſiurandi ſui, cùm paulo antè introduxiſſet, ac iuraſſet religionis vtriuſque concordiam, quam vulgò *Religions vrede* nominãt, cumq́ue ſolenni iureiurando ſe obſtrinxiſſet ac propria manu ſubſcripſiſſet fœderi Vltraiectano: quis admiretur noſtros quoque ſua in tuto collocare voluiſſe, qui viderent hoſtes nulla reuerentia iuriſiurandi, ſacra ac prophana omnia proculcare & maximo ſuo ac generis ſui probro, quicquid omnino æqui iuſtiq́ue ſupereſt violare?

Et quidem vt multa nobis falſo impingant, illud nobis ſaltem obiicere non poſſunt, ne in maximis quidem turbis, etiam ab inimicis ipſis excitatis, noſtrarum partium quenquam, eò ſceleris progreſſum, vt manus ſuas confœderatorum, & eorum qui in fide & clientela noſtra eſſent, ſanguine polluerit; quod aduerſæ partis Principes, propria adeò manu factitarunt.

Quod ad nobiles, quos dicit *regionibus à nobis eſſe pulſos*: quis vnquam vel vnum abegit? Quod ſi eos conſcientiarum ſuarum terror agitauit, ſi vt furiæ, ſic ſuæ ipſis occurrerunt iniuriæ, quæ nullo eos ſtare loco ſiuerunt; quibus hoc iuſtius imputent, quàm ſibi ipſis, qui patriæ ſuæ exitium impiè ſunt machinati? Atque vtinam aliquanto maturius exilij ſui voluntarij ianuam inueniſſent, & quotquot eiuſdẽ furoris poculũ hauſerunt veſtigia eorum preſſiſſent, næ illi Rempub. metu, nos laboribus liberaſſent.

Quàm verò ridiculum quòd me *hypocritam* appellant! qui nihil vnquam in eorum cauſa diſſimulaui: nam cùm ipſis eſſem amicus, prædixi li-

berè technam eos (quod aiunt) in ſuũ caput ſtruere, exercendis barbaris illis perſequutionibus. Et niſi eos cæcus animi impetus cum contemptu noſtri coniunctus, à conſilio noſtro auertiſſent, non in eas anguſtias rerum ſuarũ eſſent adducti. Sed nec inimicitiis pro libertate veſtra cum illis ſuſceptis ſcio, in quo hypocritã me poſſint dicere; niſi fortè hypocriſim nominant aperto Marte bellum cum illis gerere, ciuitates capere, regionibus pellere, poſtremò abſq; vlla diſſimulatione, iure belli cum illis agere. At ſi defenſionem meam ante annos tredecim in lucem editam recognoſcere non pigebit, videbitis (Belgæ) epiſtolam regis fraude & hypocriſi inſtructi, qui me phaleratis ſuis verbis illaqueare tum cogitabat, quemadmodum nunc minis ſuis ac verborum tonitruis, terrorem ſe credit allaturum. Sed Dei gratia antidoto contra vtrunque venenum muniti ſumus.

Longam deinde contexens & ineptam verborum ſeriem, conatur oſtendere me diffidẽtia quarum niti. Quod vt dem eſſe, an ideò Caino ac Iudæ habendus ſim ſimilis vti arguunt? Aliud enim eſt promiſſis & gratiæ Dei diffidere, mẽtiri neſcij; aliud non credere verbis hominis perfidi, ac mendacis: quemadmodũ teſtari poſſunt miſeri Mauri Granatẽſes; &, prô dolor, interitus Comitum piæ memoriæ Egmondani & Hornenſis locupletiſſimus teſtis eſſe poteſt. Sed ſi boni iſti Theologi (qualis eſt Cardinalis, eccleſiæ ſuæ columna) bene examinaſſent, quæ vera ac proxima cauſa fuerit lapſus Iudæ & Caini; inueniſſent deſperationem fuiſſe; quò Dei beneficio redactus non ſum, & (vt

confido) nunquam redigar. At contrà, si quis prodigiosa verborum fulmina, quæ in hac sua tã crudeli, tam barbara proscriptione in nos eiaculantur, inspiciat, nónne deprehendet manifestas notas, stylumque desperatorum, quales à poëtis furiosos ac lymphatos introduci videmus? Ipsi igitur conscientiam habent cauterio inductã vt Iudas, attonitam vt Caïnus, reprobam vt Saul, Et tamen prudentiam sapientissimorum hominũ videte: *Diffidentia res est* (inquiunt) *communis omnium improborum*. Te appello Cardinalis, qui tantum temporis frustra in literis triuisti, nisi tum te multum profecisse dicis, cùm à pueritia edoctus es mentiri & fallere: quæro igitur ex te, quid oratorum neruosissimo, sentẽtiosissimo, patriç amantissimo sis respõsurus, cùm dicit (vt ab adolescentia doctos recitare memini) nullũ esse liberis populis aduersus tyrannos maius propugnaculum, diffidentia? Atque hæc in alium Philippũ dicuntur, tyrãnidis tantum discipulum, si cum hoc tuo Philippo conferatur, qui tyrannos omnes post se relinquit, quoque nulla Philippica satis digna est, ne illa quidem quam Diuinam nominant. Tua sit deliberatio: ego interim sententiam hanc immortalitate donandam dicam, scribam, omnibus denique locis insculpendam curabo. Ac det Deus vt plus fidei apud meos, quàm bonus ille orator apud suos inueniam; qui cùm se à tui similibus, & aliis nebulonibus, quibus lingua & calamus venalis est, circumduci essent passi, à tyrannis oppressi funditus perierunt. Sed vt de vobis melius sperẽ viri fortissimi, vestra facit constantia & ani-

mi magnitudo. Quodque auctores boni facere consueuerunt, vt in extremam orationis partem, firmissimum aliquod argumentum reiiciant, boniq; Imperatores triarios & spectatæ virtutis milites in extrema acie collocent: sic viri isti docti & exercitati, in epilogo proscriptionis suæ, immane telum in nos retorquent, cui succubituri videamur. *Multa* (inquiunt) *& magna ei oblata sunt, vt se in solum patrium reciperet (quo nemini quicquam debet esse desideratius) nec conditiones tamen accipere voluit.*

Et quid tandẽ dicere poterant, quod pro nobis plus faceret? considerate obsecro eorum vel stultitiam vel impudentiam: nam aut impudenter loquuntur, aut adeò sunt acuti, ne dicam stolidi, vt cùm me vituperare studeant, maximè laudent. *Dulce est vnicuique in patria viuere*. Cur igitur execrabilis ista natio Hispanica, totum terrarum orbem, ad vexandos miseros mortales circuit? Nũ ego, si tot nominibus vobis deuinctus viri Belgæ obsequium ei loco prætulerim in quo sum natus; proditor, sceleratus, publica pestis sum appellandus? Et tamen scitis me puerum annos natum plus minus vndecim, in Belgium venisse, & ex eo porrò tempore non alibi quàm inter vos cõtinuò fuisse educatum, vt regionum harum consuetudo in naturam mihi verterit. Quod si igitur promissa mihi fecerunt, si luculentas (vt aiunt) conditiones obtulerunt, quas ego tamen recusarim: quid aliud accusant quàm fidem meam atq; constantiã erga Deum & erga patriã, quæ mihi omnibus opibus fuerunt antiquiora? Nolite putare viri prudentissimi

ſimi iucundum nobis eſſe in perpetuis laboribus ac moleſtiis verſari, tot maledicta & obtrectationes inimicorum, & non rarò etiam amicorum audire (ſi quidem amici eſſe debeant, quos officiis meis demerui) fortunis meis tam diu priuari, atq; adeò filiú crudeliſſimo carceri incluſum habere, immenſo ære alieno grauari ac tot malis & difficultatibus remedium quidem nolle quærere, néve me alium eſſe exiſtimetis quàm reliquos mortales omnes, quorum nemo eſt qui non quietem laboribus, ſecundas res aduerſis præferat.

Sed ea videlicet rerum noſtrarum eſt cõditio, vt ſi hæc obtinere atque illis bonis frui velimus, vos mihi prodendi, vos deſerendi, & cruentis luporum faucibus, cùm res ferat, exponendi ſitis: Ignoſcent nobis reliqui mortales (nam vobis me factaque mea probari ſatis certò ſcio) ſi neq; pecuniæ magnitudine, neque vitæ deſiderio, nec amore coniugis, nec liberorũ caritate impelli poſſum, vt poculo meo vel tantillum veneni proditionis miſceam. Sed quoad in hoc noſtro corpore vel vna ſanguinis gutta ſupererit, quàm diu ex facultatibus teruncius ſuperabit, donec ingenij, induſtriæ, auctoritatis quicquam nobis erit reliqui; hæc omnia obſequiis veſtris impendam, dedicabo, conſecrabo. Interea quoniã hoc mihi exprobrant, illud cælatum vos nolim, veritati eos & hac in parte pepercisſe: tales enim conditiones, quales dicunt, nunquam mihi fuerunt oblatæ: nõ quin mihi certò fuerit ſignificatum, nullam rem tantam ſeorſum me pro me petere potuiſſe, quam non fuerim impetraturus: Sponſionem facturos

de restituendo filio meo in libertatem, in eũ omnes honores meos translaturos: quantum bonorum habeo, tantum in Germania assignaturos (nõ modò eorum quæ in præsens possideo, verùm etiã ea quibus me priuarunt:) ære meo alieno (quod planè immensum est) me liberaturos; deniq; decies centena florenorum millia repræsentaturos, atque horum omnium idoneam cautionem præstituros. Videtis promissa magnifica, nec tam magno fuisse redimendos eos, qui ad hostem defecerunt. Sed tantum abest vt hæ conditiones nobis sint oblatæ, vt nec literis Cæsarei legati, nec tentatis quibusdam mihi addictis nec solicitatis propinquis, nec epistolis commissariorum, vnquã obtineri à me vel hoc vnum potuerit, vt articulos seorsum meo nomine mitterẽ: sed semper respondi, si pacem qualem vos poscebatis dedissent, mihi satisfactum fore, nec velle meliore aut deteriore in causa esse quàm vos essetis; nec statuisse de communi causa directè aut obliquè me seiungere qua salutem meam contineri iudicarem. Nónne insignis contumelia est, conuitiis incessere virum bonum, fidelem, constantem, & aduersus pollicitationum ventos non minus firmum ac stabilem, quàm Dei benignitate aduersus comminationũ fluctus?

Audistis hactenus, viri ornatissimi, accusationes vel potius cõuitia, maledicta, calumnias, quas contra dignitatem, atque existimationem meam collegerũt. Vestrum erit quibus ego me solis obstrictum sentio cum propter facultates meas & earundẽ conditionem, tũ verò propter iurisiurãdi

reli-

religionem, arbitratu vestro de iis iudicare; nec supplicium recuso, si affinis culpæ inuenior. Sed si (vti spero) iudicabitis me à tyrannis & calumniatoribus accusari, putabo mediocre hoc meum qualecunque officium, sed tamen promptissimũ ac fidelissimum optimè fuisse collocatum.

HVIC igitur tã debili tamq; infirmo fundamento, proscriptionis suæ sententiã superstruunt, & tragicam illam suam eloquentiam semel omnẽ effundunt, tonant, fulminant, tempestates cient, & vt in theatris Corybantes solent, execrãda verba, Cocyto, Styge & Acheronte tincta, in hoc miserum caput eiaculantur. Sed hæc Deo gratia nihilo me plus terrẽt, quàm de rupe Tarpeia à Pontifice Clemente vibrata excommunicationis fulmina in proauũ meum Principem Philibertum, qui nihilo eum secius in carcerem coniecit. Nam circumspectis vndiquaque omnibus, nihil aliud esse inuenio nisi rumusculos quosdam verborum, & inanes susurros, qui puerulos territare possint; non eum virum cuius animum Dei beneficio nõ valuit frangere, nec tot bombardarum crepitus, nec octoginta armatorum millia imperatore Albano, tot maritimæ classes, tot eiusdem ducis, tot Lodouici Commandadoris, tot denique eius quę illis antecessit Ducissæ Parmensis proditiones. Et tamen hæc aliquanto sunt terribiliora quàm inanis iste strepitus fragorque tonitrui, qui eodẽ quo auditur momento euanescit nec lædit quenquam. Mihi verò sat est verbo dicere, & corã vobis Belgę & vniuersis populis Europęis, quicunq;

Hiſpanus aut Hiſpaniſatus cuius cuius loci fuerit aut ordinis, nemine excepto, aut dixit aut dicet id quod infamis iſta proſcriptio nobis impingit, *me proditorem eſſe & ſceleratum*, *falſo loquutum & aliena à veritate dicere*. Interea interdicant mihi aqua & igne, quantum volent; non deſinam propterea cum amicis meis vel inuitis ipſis valere ac viuere, quoad per Dei gratiam licebit, cui ſoli ſumma in me poteſtas eſt vitæ & necis, quique capillos capitis mei numero comprehenſos habet, cuius ego hactenus beneuolentiam in me ſingularem & auxilium non ſemel ſum expertus, & porrò conſeruaturum ſemper ſpero. Quod bona quæ in præſens adhuc poſſideo occupanti donat (nam hoc loco tam eſt diligens pater familiâs vt eorum quæ mihi eripuit nihil cuiquã donare velit) ſpero fore vt tanti ipſis ſtet ea habere, vt multò minoris alibi ſint empturi. Quod ad reliqua bona quæ mihi detinent; nõ deſpero ea me recuperare poſſe, modò & hic adſit Deus, quemadmodũ adfuit in recuperanda magna meorũ parte: & quidem nunquam tenuem Principem facultatibus ſuis exuerunt, tametſi plurimos ſpoliarint, quæ ipſis pluris conſtiterint.

Promittit *viginti quinque millia coronatorũ aut in fundis, aut in numerata pecunia, ei qui me viuum aut mortuum ſibi tradiderit, aut qui me vita ſpoliarit*. Sed licet antehac publicationem nullam ediderint, num idcirco ignorare me arbitrantur, quoties vel ipſe vel miniſtri ipſius cum percuſſoribus ac veneficis de me iugulando ſint ſtipulati? Et ſi mihi Deus adeò fuit propitius, vt cùm non eſſem admo-

admonitus, tueri tamen vitam ac ſalutem meam potuerim: nunc cùm ſum monitus, confido equidem non defuturum. Ac quemadmodum maior mihi cauſa eſt, quamobrem in declinandis periculis diligentiorem cautionem adhibeam, ita plures viros bonos mihi ſpero excitatum iri, qui pro ſalute mea excubent. Et quanquam nullam eſſe ſcio in terris impudentiam, quæ cum Hiſpanica ſit conferenda; tamẽ mirari ſatis nequeo, eos tam proiectæ fuiſſe inuerecundiæ, vt publicare per totam Europam non dubitauerint, non tantum caput liberum pretio ſe addicere, verumetiam tale præmium cõſtituere, tam barbarum, tam ab omni honeſtate & humanitate alienum. Primùm, *nobilitaturos eum qui tam generoſum facinus eſſet auſus, ſi nobilis non eſſet*. Sed oro vos, etiam ſi is qui tam nefarium ſcelus admiſiſſet (quod vti ſpero non ſinet Deus) genere foret nobilis, an quiſquam eſt in terris nobilis, (de iis loquor nationibus quæ norunt quid ſit nobilitas) qui vel cibum capere dignetur cum tam vili, tam ſcelerato, tam nefario, qui hominem pretio percuſſiſſet, quamlibet etiam humilem atque abiectum? Quod ſi Hiſpani tales habent pro nobilibus, ſi his gradibus in Caſtilia ad nobilitatem peruenitur, non miror hominum generi de Hiſpanis pleriſque, & maximè iis qui nobilitatem iactitant, hoc eſſe perſuaſum, vt eſſe credant de ſanguine Marranorum, & Iudæorũ, & virtutem hanc à maioribus ſuis hauſiſſe, qui vitam domini Seruatoris præſenti pecunia redemerunt: quod facit vt hanc iniuriam aliquanto feram æquiùs. Deinde *condonant illis peccatum*

catum ac crimen quantumlibet etiam magnũ. Quid? etiámne si Christianam religionem ex aliquo ipsius regnorum sustulisset? si filiã rapuisset? si (quo nullum esse potest in Hispania crimen grauius) de sancta Inquisitione malè loquutus esset? Sed quoniam inimico meo placuit famam suam vsque eò proiicere, vt bona, vitam & existimationem meã, petulantissimè inuaserit; ac ne deessent testes iniustitiæ, ac stultitiæ suæ, proscriptionem illã omnibus linguis diuulgarit; nihil profectò erat quod mallem quàm eum causam nostram iuuare huiuscemodi pigmentis, quibus proscriptionem suã exornauit, cùm se promittit nobilitaturum percussores meos, nõ tantùm si nebulones sint ac infames; verumetiam si sceleratissimi & omniũ bipedum fuerint teterrimi; & tam insignem virtutẽ tam honorifico pręmio remuneraturum. Nã quid excogitare poterat commodius ad declarandam nostram innocentiam, quàm quòd me niteretur huiuscemodi rationibus è medio tollere, & per tyrannidem, veneficia, scelerum remissiones, nefariorum hominum nobilitationem, opprimere velle, vindicẽ & assertorẽ libertatis populi crudelissimè vexati? Quæ cùm cõsidero, dubitare equidẽ non possum, quin Deus (qua est iustitia) & ei & suis mentem ademerit, permiseritque certa eum orbi terrarum dare argumẽta, odij ac maleuolentiæ suæ aduersus communem nostram patriam & libertatem: siquidẽ quoduis scelus ac facinus pro nihilo ducit, modò sanguinem eius haurire possit, qui officium suum vobis tam promptè tamque fideliter hactenus præstitit. Et his talibus suis sacri-

legiis, non dubitat nomen Dei admiſcere, miniſtrum eius ſe appellando! Quid igitur? hęccine eſt miniſtri auctoritas, vt quæ Deus prohibuit, non tantum ipſe permittat, verumetiam auctoramento pecuniario, nobilitate, & criminum condonatione remuneret? & quorum criminũ? quorumlibet, quantumuis etiam ſint atrocia. Mihi verò dubium non fit, quin Deus pro iuſtitiæ ſuæ ſeueritate, iuſtam iræ ſuę vindictam in caput huiuſcemodi miniſtrorum vertat, contraq́; innocentiam atque exiſtimationem meam, cum apud huius ætatis homines, tum apud reliquam poſteritatem, pro ſingulari ſua bonitate, tueatur. Quod ad fortunas meas, & vitam attinet; diu eſt, cùm vtraque eius cultui conſecraui: ipſe de iis ſtatuet quod ad ſuam gloriam & meam ſalutem pertinere iudicabit.

Et quoniam infamis huius proſcriptionis cloacam, etiam in caput veſtrum deriuāt viri ornatiſs. tantum abeſt vt commoueri iſto debeatis, vt contrà cogitare vos conueniat, Hiſpanos, eorumq́; aſſeclas, feminarũ ingenia hac in parte referre, quæ poſt lachrymas ac morſus, poſtremò ad conuitia & contumelias confugiunt: ſic & nunc hoſtis veſter vltimos latratus edit: cui ſi conſtantis, certi, fortis, minimeq́ue ceſſuri animi, argumenta damus; iam furores eius ſiſtere, & conatus ei omnes conſumptos videbimus. Nam Sylla, Carbo, Marius, Antonius & id genus tyranni, huiuſmodi deteſtabilium proſcriptionum primi inuentores, talis ſtultitiæ atque ineptiæ Hiſpanis exempla non dederunt, tametſi tyrannidis huius imaginem dilinea-

linearunt,quam isti coloribus additis absoluerũt. Sed proscribebant fugitiuos,fugatos,abditos,idque iis in locis in quibus ipsis summa erat potestas. Horum igitur tyrannorum nostri isti imitantur crudelitatem, cùm viros bonos,innocentes & honoratos proscribunt. In eo verò sine exemplo stultè agunt & ineptè, quòd eum proscribunt qui armis sit oppugnandus. Nam veneficum summittere vt Ducissa Parmensis, aut subornare sicarium vt eiusdem Parmensis filius, virtutis maiorũ suorum ex asse hæres; non proscriptio, sed latrocinium est.



Habetis viri ornatissimi non quæ dicenda habui, aduersus tyrannicam hanc proscriptionem, sed quæ præsenti tempori cõuenire putaui: quippe qui apud vos verba faciam, quibus pleraque ignota non sunt; quæ volens ideò prætereo, quòd ea iuxtà mecum sciatis. Nam quis regis & præcipuorum eius ministrorum consilia, conatus, singillatim possit exequi? nullius sanè tantum est flumen ingenij, qui tot ac tam varias tyrannidis & iniustitiæ species non dicam verbis consequi, sed vel cogitatione complecti posset! In spem tamen certam adducor fore, vt tam ex hac proscriptione, verissima indice eorum animi abiecti, quàm ex hac mea Apologia, perniciosos eorum & infelices conatus perfectè cognoscatis, simulque intelligatis cui rei potissimùm attendere, & ad quid collimare debeatis. Nimirum, quia se vi vincere posse desperant, conantur discordiam inter vos serere, & compaginem corporis vestri luxatã distrahere; eos primùm extollentes, qui nos non so-

lum

lùm contra iusiurandum suum, verumetiam difficillimis temporibus deseruerunt, obsessa ciuitate quadam nostra, de qua quod querantur adeò non habent; vt ne prætexere quidem causam vllam saltem ineptam possint; & (cui ad summam perfidiam nihil potest addi) eodem illo temporis articulo aliis in locis oppugnant. Nec aliò spectant insertæ proscriptioni comminationes illæ, nisi vt vos terreant & à me diuellant; sic se per omnia gerentes, quasi mihi, non vobis bellum faciant; quemadmodum ouibus persuadere lupus nitebatur, sibi cum canibus tantummodo bellum esse, quibus sublatis facilè se cum grege in gratiam rediturum; canes enim illos, discordiarum ac pugnæ semper auctores esse. Atqui dum absens in Germania fui, nullàne hîc incendia fuerunt? nullum sanguinem fundi? nulláſne ceruices aut securibus incisas aut laqueo fractas vidistis? libertás-ne vestra per mitissimum illum Albanum vobis constabat? Non eo tempore legati vestri Domini Marchio Bergensis & Montigneus in Hispania crudelissimè sunt necati? Non illud ipsum tempus fuit, cùm hastilibus præfixa capita Principum vestrorum, ante oculos vestros ponebantur? Alterum caput quod sibi in primis proposuerunt, est de extirpanda religione. Non hîc disputabo, quæ vera sit religio, qua Deus verè inuocatur ac colitur ex præscripto verbi sui: quam ego quæstionem exercitatioribus discutiendam relinquo; præsertim cùm quid credam ex professione mea appareat. Illud Religio.

dicam, eum esse Reipub. vestræ statum, vt sine religionis huius exercitio, ad tres dies durare non possit. Etenim videtis vt numerus ad miraculum vsque excreuerit; tum verò inexpiabile omnium tota passim regione contra Pontificem odium, inde videlicet natum, quòd nefarij eius conatus in hanc Rempub. sunt deprehensi. Quis igitur se patriæ amantem potest dicere, & idem suadeat, tam infinitam hominum multitudinem sedibus suis pellendam; qua sublata, prouinciarum vastitas, inopia ac miseria consequatur, exteras regiones populosas ac opulentas reddat? Et quid si nolint discedere, quis eos coget? Vicinos modò aspiciamus, domestica exempla intueamur; & nisi mente capti sumus, nunquam huiusmodi perniciosa consilia sequemur quæ totam hanc Rempub. quanta est funditus sint euersura. Dicam amplius, quòd tametsi inter eos qui sunt de Ecclesia Romana complures viri boni sunt, & patriæ amantes & in his nonnulli pręclarè de Repub. meriti; hoc tamen inter hos & illos interest, quòd eorum qui religionem profitentur, planè est nemo qui cum hoste conspiret, aut clandestina agitet consilia; sed ad vnum omnes Hispano sunt inimicissimi. Et quanquam inter eos fuerint nonnulli, qui vt petulantes ac insolentes filij solent, imprudentia sua negotium familiæ fecerunt: tamen nihil ipsis cum communi omniũ hoste rei quicquam fuit.

Quandoquidem igitur viri prudentiss. eorum consilia & conatus perspectos habetis; restat nihil

hil quàm vt remedium afferatis. Quodnam illud? nimirum vt quod in ore ſemper habetis, quodque denotatur ſymbolo telorum veſtrorum, quod inſculpi ſigillo veſtro voluiſtis id re præſtetis; neque vllum pulcherrimi huius corporis membrum, ſuum ſpectet, ſed toti Reipub. ſtudeat, ne qua pars corporis alimentum ad ſe rapiat, quod ſit totius, ſed vt patiatur ſtomachum, hoc eſt, quod à vobis conſtituetur, conſilium illud digerere, & digeſtum per venas ad membra ſtatus huius tranſmittere. In primis verò vt ſi quis morbus inciderit, eò ſtatim mittantur medici, vt ægroti ad tempus ſuſtineant, atque ita mali liberationem poſtea ſentiant. An non inſignem ignominiam, ac nullo vnquam tempore eluendam in nos admiſerimus, ſi cùm tam præclaram habeamus Rempub. tantas opes; tanta rerum gerendarum ſubſidia; miſera auaritia & cupiditate traducendi ad nos commoda ciuium, ac detrahendi quod cuique poſſumus, emolumenti noſtri gratia; dum alius hinc, alius illinc quod poteſt ad ſe rapit; noſmet ipſos momento ab hoſte oppreſſos ac perſundatos videamus? In memoriam reuocate, viri prudentiſſimi, magnam illam imminutionem ſtatus Reipub. noſtræ, quæ mortem Ducis Caroli proximè eſt ſubſequuta: quæ nulla alia ex re orta eſt, quàm quòd prouinciis de priuilegiis & aliis neſcio quibus commodis inter ſe digladiantibus, Reſpub. in medio relicta, miſerè lacerata eſt. Nolite exiſtimare fieri poſſe, vt hoc rerum ſtatu, diu durare valeam tam paruis

Remedium.

opibus ac ſubſidiis, quibus me hactenus vſum co-gnouiſtis: ſed ſi quid vſu & experientia tum politicis, tum militaribus in rebus valeo; ſi mihi nota eſt hęc Reſpub. ſi opes hoſtium; licet omnes copiæ quæ ex Hiſpania ac Italia nobis minantur, proximo anno nos inuadant; nihilo plus, ac minus etiam profecerint quàm Albanus in Hollandia ac Zelandia egerit. Et ſi in vobis ſitum eſt imminentibus malis occurrere, (ſicut eſt) nec facitis tamen, quo tandem nomine errorem hunc appellabimus, ſi à vobis commiſſus fuerit; clariſſimi viri, qui in hunc locum conueniſtis, ex quibus pendet vniuerſa humaniſſimorum Belgarum multitudo; qui vos patrum ac patronorum loco habent, quique tanquam cælitus miſſum nuntium, ambabus vlnis ſunt amplexuri, ſi quid hîc in commune conſulitis. Reſpicite vos ipſos: aut ſi vos ſalus veſtra non tangit, moueat vos tam infinitæ multitudinis calamitas; miſereat tot pupillorum & viduarum; moueant tot cædes ac latrocinia, in viſceribus patriæ patrata, tot diſſipatæ Eccleſiæ, tot paſtores cum miſero grege errabundi: Ponite ante oculos crudelem illam ac barbaram cædem, à Comite Manſveldio Niuellis editam. quæ omnia in vobis eſt parua quadā declinatione & (quod aiunt) corpore effugere, atq; in caput hoſtile totam belli cladem retorquere; ſi tantum ſtudia partium ſuſtuleritis, & opes veſtras pari animi alacritate coniunxeritis; liberaliter non dicam loculos veſtros effundentes, ſed quod ſuperat modò contribuentes. De me autem ſeorſum

ſum vt loquar (Dñi) videtis vt caput hoc infeſtis animis petant; quantoq́; præmio ac pecunia morti deuoueant, & dictitẽt quoad inter vos ero, nullum belli finem fore. Atque vtinam perpetuo exilio meo aut morte etiam, tot mala & calamitates redimantur, quæ ego Hiſpanos, quorum conſiliis & publicis & priuatis ſæpe interfui, quoſque ab adoleſcentia penitus et domi inſpexi, in caput veſtrum ſcio machinari: quàm dulce exilium? quàm non ingrata mors ea foret? Nã cur fortunas meas omnes expendi? an vt me locupletarem? cur hiſce oculis cariores fratres meos perdidi? an vt alios compararem? cur filium meum, cuius deſiderio (ſi modò ſum pater) profectò commoueor? num quem mihi detis alium, habetis? aut eundem reſtituere poteſtis? cur vitam meam periculis toties obieci? quod præmium, quod pretium expectare aliud debeo tam diuturni laboris mei, in quo dum vobis obſequor, & ætatem & fortunas meas attriui, niſi vt quietem vobis, ac libertatem vel ſanguine meo (ſi ita res ferret) redimerem? Quare ſi aut exilium aut mortem meam vobis creditis profuturam viri ornatiſs. en adſum, de me quod libet ſtatuite, imperate, relegate vel ad extremos orbis fines; obtemperabo: En caput meum, in quod nec Princeps vllus, nec Monarcha ius habet præter vos ſolos; de hoc decernite, quod in rem veſtram, communemq́; eſſe iudicabitis. Sed ſi hanc experientiæ ac induſtriæ noſtræ mediocritatem longo vtique et aſſiduo rerum vſu & exercitatione comparatam; ſi reliquas fortunas, ſi vitam meam, (quę

omnia vobis ac Reipub. voueo conſecroq́ue) vlli adhuc vſui vobis eſſe iudicatis, decernite de iis quæ ad vos refero. Et ſi quid amoris erga patriā, ſi quid conſilij in me eſſe creditis; illud habetote, certoq́ue ſtatuite hanc vnam eſſe defendendi & conſeruandi veſtri rationem. Quo decreto atque inſtituto agedum iunctis animis & voluntatibus ad defendendum eum populum accedamus, qui nihil aliud à nobis flagitat quàm vt expeditā quādam ſanorum conſiliorum rationem, cui cupidiſſimè ipſe ſit obtemperaturus, cōmonſtretis: quod ſi fiet, & me eodem quo hactenus ſtudio ac fauore proſequemini, adnixus cum veſtra ope atque auxilio, tum diuini numinis gratia', quam perplexis meis rebus non ſemel præſentiſſimam ſum expertus, quod vos in rem ac conſeruationem veſtram, coniugum, liberorū, & ſi quid aliud ſacrum ſanctum habetis, decreueritis: ad extremum vſque ſpiritum

PROPVGNABO.

EXEMPLVM EPISTOLÆ REGIS HISPANIARVM AD PRINCIPEM AVRAICVM SVA MAnu ſcriptæ ex Hiſpano idiomate in Latinum conuerſæ.



CCEPI *tuas literas magna cum affectione, datas 27. Maij, & poſtea eas quas ad me dediſti 14. Iunij: Et ex his quæ ad ſororem meam ſcripſi intelligere potuiſti, quã paruã cauſam habeas, ea cogitandi de quibus ad me ſcribis in illis tuis quas ad me dediſti 27. Maij, quin planè cõtra: Præterea certum eſt, quòd multum te falleres, ſi exiſtimares me tibi non planiſſimè fidere; & quamuis ſanè ſtuduiſſet quiſpiam malã tibi gratiã apud me conciliare, ſupererat me tam leuem non eſſe vt fidem fuerim adhibiturus, cùm tam magnũ experimentum fidei & obſequiorũ tuorum habeã. Quamobrem hanc opinionem tutò potes deponere, & niti tũ iis literis quas hac de re olim ad te ſcripſi, tum factis tuis; ſed minimè iis quæ tibi nonnullos (inimicos fortè obſequio meo & bono tuo) impoſuiſſe neceſſe eſt. Quod ad veniam attinet quam poſtulas ad deponenda tua munera: diſplicet mihi res tuas priuatas eo eſſe loco, quo dicis: cumq; regionũ illarũ ſtatus is ſit qui eſt; facere non poſſum quin tibi declarem æquum nõ eſſe tales perſonas qualis eſt tua cui planè cõfido & acquieſco, regiones deſerere, præſertim cùm tã longè ab iis abſim; quin potius æquũ fuerat ſi qui domi eſſent, ad hãc*

necessitatem cõcurrere, & officium debitum præstare, quemadmodum tu in præsens fecisti, cùm Antuerpiã es profectus; quæ res valdè grata mihi fuit: planeq́ certum habeo te isthic facturum omnia, quæ maximè arbitraberis pertinere ad meum obsequium & ad ciuitatis illius totiusq́ regionis quietem ac tranquillitatem; & ad vitandam ἀταξίαν quæ ibi erit; quemadmodum tibi confido & valdè disertè impero: scioq́ quòd non præbebis te alium quàm præbuisti tota tua vita. Et vt videas quàm liberè tecum agam, facere non possum, quin tibi dicam multos hîc fuisse sermones de eo quod frater tuus interfuit iis rebus quæ isthic geruntur. Et quia non possum non existimare eam rẽ magnopere ad me pertinere, impero tibi vt rationes quæras quibus remedium inueniri possit, ne longius serpat: idq́ effectum da. Et si tibi expedire videbitur vt eũ aliquot dies abs te ableges, id vt facias. Ex Sylua Segouia Cal. Augusti M. D. LXVI.

Subscriptum

Philippus.

Et in tergo inscriptum

Ad Principem Auraicum.

Signatum Sigillo Regio.

BANNVM ET EDICTVM SVB FORMA PROSCRIPTIONIS PER MAIESTATEM REGIS

Domini nostri factum aduersus Guillelmum à Nassau, Principem Aurangiæ, tanquam caput & perturbatorem status Christianitatis;& specialiter harum inferiorum regionú: Per quod cuiq; datur licentia eum offendendi & è medio tollendi, tanquam pestem publicam; præmio proposito ei qui id exequetur & ad id opem feret.

Translatum ex Gallico in Latinum.



HILIPPVS, Dei gratia, Rex Castilliæ, Leonis, Arragonis, Nauarræ, Neapolis, Siciliæ, Maillorquæ, Sardiniæ, Insularum, Indicarum & terræ firmæ, Maris Oceani; Archiducis Austriæ; Ducis Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Gheldriæ, & Mediolani: Comitis Habsburgi, Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ Palatinatus, & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ; Principis Zwauiæ; Marchionis Sacri Imperij; Domini Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ; ciuitatis, vrbium, & regionum Vltraiectinarum, Vltraissulanarum,& Groeningæ; & Dominatoris in Asia & in Africa. Omnibus iis qui has præsentes videbunt, Salutem.

Notissimum est vniuerso orbi terrarum, quàm fauorabiliter tractauit Carolus Quintus altissimæ memoriæ Imperator, & Dominus meus pater

quem Deus absoluat, Guillelmum à Nassau pro successione defuncti Renati de Challon Principis Aurangiæ affinis sui, & quo pacto ab eo tempore & vltrà à prima eius iuuentute (etiamsi esset alienigena) eum promouit: id quod semper successiuè continuauimus & auximus magis ac magis, eum nostri ordinis consortẽ faciendo; deinde nostrũ Locum-tenentem generalem in gubernatione Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti & Burgundiæ; simul & nostri Consilij status, conferendo ei plurima beneficia & honores. Vnde propter iuramenta fidelitatis & hommagiorum quæ nobis etiam præstitit, ratione feudorum, terrarum & dominiorũ quæ à nobis possidet in variis nostris regionibus & prouinciis, magnopere erat deuinctus & obligatus nobis obedire, seruire, & fidem suam tenere; & bonum, atque vtilitatem nostrarum rerum procurare: & consequenter omnem requiem & tranquillitatem in nostris statibus & regionibus manu tenere: Nihilominus quisque nouit quòd vix pedem verteramus ex nostris regionibus inferioribus, quin dictus Guillelmus à Nassau, factus ea quam diximus suprà, ratione Princeps Aurangiæ, suis sinistris practicis, trauersis consiliis & astutiis tentauerit primùm lucrari voluntates eorum quos cognoscebat malecontentos, oneratos ære alieno, iustitiæ osores, nouitatum studiosos; & præcipuè eos qui erant suspecti religionis; eos palpans, solicitans & trahens ad se pulchris verbis, promissis & vanis persuasionibus, intantum vt fuerit primarius auctor, promotor & instructor primorũ Libellorũ supplicũ quos quidam grex iuuenum nobilium obtulit, quotidie ædes eius & mensam frequentantium: quinimò conspiratio fuit facta in eiusdem ædibus, assistente Comite Ludouico Nassauio fratre suo magno hæretico. Et quamuis esset illius totius factionis director

ctor, tamen frequentabat id temporis quotidie Consilium Status, aſſiſtens omnibus conſultationibus & reſolutionibus quæ ibidem capiebantur: ita quòd facilè omnes obſeruare queant eius bonam fidem & obſeruationem iuramentorum. Atque ita ab illis ſupplicibus libellis ac deinceps, ipſe & eius conſortes introduxerunt Conciones hæreticas & conuentus pùblicos in multis locis noſtrarum regionum, interim dum Ducíſſa Parmenſis, tunc regens & gubernatrix generalis noſtrarum regionum inferiorum noſtra chariſſima & amatiſſima ſoror, miſerat ad nos vt daretur ordo ſuper iiſdem libellis. Et ſimiliter per conſilium, notitiam & participationem eiuſdem Aurangij inceperũt hæretici (adducti per illos præſentatores eorum libellorum quos is fauore proſequebatur) tumultuariè imagines, altaria & templa ſubuertere; omnes res ſanctas ſacrasque prophanare, imò & Sacramenta à Deo inſtituta. Nihilominus diuina gratia & eiuſdem Dominæ prouidentia, res fuerunt ita gubernatæ & curatæ, vt coactus eſſet ex noſtris regionibus ſecedere & ſuas gubernationes derelinquere: interim tamen plenus irarum ac minarum quibus ſeſe aliquando vindicare velle indicabat. Id quod animo cogitabat anno ſequenti armis exequi; ſed incaſſum: nam adeò animosè noſter exercitus eum inſecutus eſt, veſtigia eius continuè premens, vt è noſtris regionibus omnibus expulſus ſit, nullo ei loco vbi manere poſſet, relicto. Verùm quoniam aliquot pòſt temporibus oriebatur in multis locis quædam malecontentatio noſtrorum ſubditorum aduerſus gubernationem Ducis Albani qui ſucceſſerat in locum iam dictæ Ducíſſæ, ac præ cæteris in prouinciis Hollandiæ & Zelandiæ, machinabatur vt eò redire poſſet. Vbi tamen non fuit receptus, niſi prius ſanctè iuraſſet illarum

rum regionum Statibus & oppidis, se conseruaturum easdem regiones & vrbes nobis nostræque obedientiæ; neque mutaturum quicquam omnino in antiqua religione Catholica & Romana, sed solùm tanquam gubernatorem eos adiuturum & defensurum aduersus eundem Ducem Albanum, si vellet eos cogere & violenter impellere ad id quod prætendebat, videlicet ad decimum & vigesimum denarium exactionis quam volebat imponere; id quod non ei mandaueramus, nec intelligebamus fieri debere, nisi cum consensu & voluntate nostrorum subditorum: necnon loco aliorum subsidiorum & impositionum à quibus animus erat eos exonerare. Veruntamen simulatque idem à Nassau intrasset & receptus fuisset in eandem gubernationem, incepit per suos ministros & suppositos introducere Conciones hæreticas quocunque loco poterat, persequens omnes bonos pastores, prædicatores, religiosas & bonas personas, quarum maximum numerum expellebat, & ex eis iussit plurimos trucidari, vel dissimulauit interfectionem quæ fiebat à quibusdam suis consortibus; donec iidem Status vehementer offensi ista crudelitate voluerũt eius habere rationẽ: tunc simulauit rem sibi displicere. Ac nihilominus ab eo tempore reuertebatur ad suum primum scopum, eos quos cognoscebat Catholicos & suis consiliis aduersantes, malè tractans, ac in consilium adhibens ministros hæreticos tam extraneos quàm huius regionis; mutans similiter Magistratus quos sciebat suis machinationibus & consiliis minimè fauere: & exinde venit introductum libertatem conscientiæ, vel (vt verius dicatur) confusionem religionis. Vnde paulo pòst accidit vt Catholici apertè fuerint persecuti, reiecti & expulsi; ecclesiæ & monasteria tam virorum quàm mulierum fracta, deuastata & in ter-

ram

ram deiecta; religiosi & religiosæ malè tractati; in exilium pulsi & exterminati, nisi vellent apostatare ac etiam matrimonium contrahere: nam aliis non se fidebat. Quemadmodum etiam ille exhinc quamuis esset coniugio adstrictus, viuente adhuc altera vxore, sumpsit religiosam & Abbatissam, consecratam solenniter manu episcopali, quam tenet adhuc apud se: quare nihil infamius neque ignominiosius quicquam esse posset, non solum iuxtà religionem Christianam, verumetiam per leges Romanas & contra omnem honestatem. ac tandem eò progressus est vt nullum daret locum amplius religioni Catholicæ; tolerans omnes errores & impietates omnium aliarum sectarum & hæreseon, ad exterminandum & eradicandum, si posset, nostram Catholicam & sanctam, obseruatam ab omni æuo per vniuersum statum Christianorum. Interim reddidit ita obstinato animo nostros miseros subditos Hollandiæ & Zelandiæ, & eos impulit in eiusmodi terminos, vt ferè omnes vrbes, vna prius, alia post, obsessæ fuerint & captæ; quædam violenta manu, aliæ per transactioné & deditionem: adeò vt non semel in tantas redactus angustias iam expellendus esset nostris armis: donec defuncto magno Commendadore Castiliȩ, quem prȩfeceramus etiam successoré in eandem gubernationem post iam dictum Ducem Albanum (à nobis reuocatum vt magis contentos redderemus nostros subditos) res venirent in tantam confusionem & rebellionem militum capta vrbe Ziricxæa: quæ rerum turbatio incepit aliquantulum fauere eidem Nassauio; & paulo pòst Ordines generales nostrorum inferiorum regionum, optantes semel ab his belli calamitatibus liberari, persuasi ab ipso Aurangio, qui dicebat & simulabat nihil desiderare præter bonum, quietem & tranquillitaté regionum,

im-

immunes reddi eos à militibus extraneis, & retineri regionem ſub noſtra obedientia, ſimul & conſeruari in ea antiquam religionem Catholicam, talẽ qualis ſemper ibidem fuerat exercita, & cuſtodiri priuilegia & libertatem eiuſdem regionis; inierunt cum eo Tractatum Gandauenſem, ſtabilitum expreſsè ſuper illa duo fundamenta ſpecialia, Conſeruare ipſam religionem & noſtram obedientiam. Intereà miſimus noſtrum bonum fratrem defunctũ Dominum Ioannem Auſtrium (bonæ memoriæ) cum mandato & intentione accommodandi, reconciliandi & componendi omnes tumultus noſtrarum regionũ quanta dulciſſima ac gratioſiſſima fieri poſſet ratione: id quod fecit, indulgens noſtris ſubditis quicquid aliquo modo eis poſſet concedi: ratificans etiam eandem Pacificationẽ Gandauenſem, quã publicari fecit paſſim eo quo ſolet modo. Cui reſtitit omnibus viribus idem Aurangius: ſed cùm impedire eam non poſſet, noluit vnquam poſtea permittere vt in vllo loco ſuarum gubernationum publicaretur: indignatus quòd eam non potuiſſet impedire, ſicut dictum eſt, cùm tamen ex eo tempore approbaſſemus, emologaſſemuſs, & ratificaſſemus vtrumque fœdus & Tractatum; atque iam dictus noſter charus frater, vnà & aliorum Statuum Deputati miſiſſent varios inſignes & magnos viros ad ipſum Aurangium, vt eum perſuaderent id comprobare: ad executioni dandum ex ſua parte id ad quod erat aſtrictus & obligatus per capitulationes eiuſdem Tractatus Gandauenſis: Atque quoniam cauſabatur & allegabat ſemper debere recuperare ſibi integram gubernationem ſuam; conſequenter vrbes quæ noluiſſent eum recognoſcere pro gubernatore, aut ſaltem eas quas ab eo tempore recuperaueramus armorum potentia, & redegeramus aliter ſub noſtram obedientiam,

tiam,

tiam, restituendas suæ gubernationi: satisfactum fuit ei ex bonitate & facilitate nostrorum Statuum, qui nondum tunc temporis satis nouerant eius impostu-ras & periuria; modò tamen iuraret se nihil immu-taturum in forma eiusdem antiquæ religionis Ca-tholicæ & Romanæ: ac idcirco daret securitates & satisfactiones quas Magistratus, ciues & cuiusque vrbis incolæ poterant iure requirere. Vnde cùm esset multum diuque disputatum super securitatibus quas vnaquæque vrbs exigebat, vt id quod idem Auran-gius eis promittebat ipsis seruaretur; reductæ sunt sub eius gubernationem, postquam iurasset articu-los supradictos aliosque instrumentis earundem sa-tisfactionum contentos. Verùm tantum abfuit vt tenuerit vel obseruauerit sua promissa iuramento confirmata; quin contrà statim introduxit in eas suos ministros & concionatores Caluinistas: reuoca-uit hæreticos exules; ibidem libertatem conscientiæ practicauit, & procurauit aliquot scãdala fieri in nõ-nullis ecclesiis; primum impugnans Mendicantes, deinde Magistratus, quos paulatim persecutus est, fugauitque bonos pastores: ac demum expulit & ex-terminauit totam religionem Catholicam, & inter-dixit eius exercitiũ. In quo vtebatur suis hypocriti-cis moribus & simulationibus solitis, dicens sibi dis-plicere, & quòd non poterat remedium adhibere: ni-hilominus instigabat clanculum, tàm per se quàm per suos ministros seditiosos quosque & hęreticos, vt vterentur suis malitiis: atque vt id fieret auxilio suo-rum, pedetentim inducebat præsidiarios milites in vrbes contra sua pacta & promissa iurata. Interim non desinebat accusare nostrum fratrem Dominum Ioannem quòd contra Status moliretur; quod ta-men noster idem frater semper affirmauit non esse verum: non diffitebatur quidem quòd videns obsti-

natio-

nationem & malitiam eiusdem Aurangij, poterat communicasse cum aliis, quomodo posset adduci ad rationem,& impediri quominus iterum totam quietem publicam earundem regionum turbaret, quemadmodum postea fecit. hoc nonobstante, idem Aurangius non destitit vsquedum suis practicis & dolis (sibi admodum propriis) interposuit talem diffidentiam inter nostrum iam dictum fratrem & Status nostrarum iam dictarum regionum, vt non videretur aliud quàm maxima & euidentissima mactatio apparere: adeò vt ad euitandum hanc confusionem, aut saltem incarcerationem suæ personæ, idem Dominus Ioannes posuerit se in securitatem in nostra vrbe & castro Namurcensi. Ad quam rem mouebatur tantò magis quòd nihil omnino erat armatus; econtra quòd clarum erat & certum quòd idem Aurangius per communes suos emissarios & ministros appositos, non cessabat incitare factiosos ad simile faciendum super suam personam; quo modo eodem anno practicauerat fieri super eos nostri Concilij status commissos in gubernatione generali nostrarum iam dictarum regionum: quòd tunc idem Aurangius existimans se omnia lucratum esse, incipiebat suas sagittas omnes eiaculari, astutias & arma, ad adducendum nostrum populum in bellum apertum contra nostrum eundem fratrem Locum-tenentem generalem. Attamen interuentione bonorum hominum apud eum existentium & aliorum virorum bonorum à parte Statuum, res in tantum processerant, vt totum negotium esset accommodatum; & quòd tam ab vna parte quàm ab altera ad euitandum omnem occasionem diffidentiæ, assensus fuerat à gubernatione discedere & in Italiam præterire; sicuti etiam nostra voluntas erat: & Deputati Statuum erant apud eum ad acceptandum & signandum reciprocè

oblata

oblata & contra-oblata. Sed mala fortuna iste hostis communis perturbator quietis publicæ, qui (cognoscens quòd à parte Hollandiæ vbi degebat, non poterat cum omnibus suis artificiis amplius istam pacem & reconciliationem impedire) festinabat venire super eo puncto Bruxellas; & simulans se pacem velle, bellum procurabat; proponens nouas conditiones nondum in colloquium adductas nec apertas; taliter quòd perueniret ad suum scopum, rumpens totum fœdus (vti vnicuique notum est.) Deinde cùm res iam ad rupturam belli aperti & crudelissimi venisset, fecit per vim & tumultum popularem contra voluntatem Statuum se declarare Rewardum aut protectorem nostræ regionis Brabantiæ, & postea secundum Locum-tenentem omniũ nostrarum regionum inferiorum; quemadmodum etiam tandem fecit se eligere per tumultus Gandenses & quotundam aliorum locorum, Flandriæ gubernatorem; aduocatis etiã huc suis fratre & sororio alienigenis ad obtinendum alias gubernationes nostrarum prouinciarum: ac interim fatigant ipse & sui nostrum populum omni genere impositionum, exactionum, petitionũ, leuationibus et cotisationibus, durioribus, magis barbaris atque tyrannicis, quàm vnquam fuerint auditæ: quas executus est manu forti & armis, sine assensu nostri populi & sine ratione reddenda, & si qui in eas obloquantur, in eos iniicit manus, aut facit eos spoliari, malè tractari, incarcerari aut trucidari. Insuper manifestum est id quod continuè fecimus ad accommodandum & pacificandum malam intelligentiam, quæ superuenerat (vt dictum est) inter nostrum supradictum Locum-tenentem generalem & Status: sed id omne quod factum bene fuit per nos aut nostrum iam dictum fratrem, fuit suppressum & celatum. Cuius econtrario, idem Aurangius

& sui excogitarunt mille calumnias ad decipiendum magis ac magis nostros dictos subiectos : imò ipsa coniunctura victoriæ Gemblacensis miseramus Baronem à Sellis cum conditionibus iustissimis , ad recipiendum in gratiam nostros dictos subditos , & omnia reconciliandum ; nihil subsecutum fuit propter impedimentum quod nouerat interponere: quamuis illo tempore pendente iidem nostri subditi scribentes tam nobis quàm nostro caro fratri & nepoti Imperatori & aliis Potentatibus ad iustificandum differentias quas habebant aduersus eundem nostrum Locum-tenentem generalem, protestabãtur apertè se nolle quicquam immutare in religione antiqua Catholica Romana , eadem quæ ab omni æuo fuerat obseruata in nostris iisdem regionibus : & simul se velle sub eadem nobis præstare obedientiam quæ iure diuino & humano nobis debebatur : quæ erant sola duo capita quę semper exegeramus & exigebamus tunc ab eis , & in quibus eramus concordes. Tamen idem Aurangius metuens reconciliationem nostrorum eorundem subditorum nobiscum; venit excogitatum rursus nouas machinationes, ad non solùm illud impediendum , sed etiam reddendum (si posset) in æternum rem desperatam & irremedicabilem; per modum corrumpendi totum negotium per hæresim . Quò peruenit in multis locis tam per dolos , astutias , malitias & periuria optimè cognita illi & omnibus hæreticis, quàm etiam per meram violentiam ; vtens eodem modo quo antea fecerat, vt corrumperet & perderet prouincias Hollandiæ & Zelandiæ : ponens omnia in combustionem tumultus popularis, & deprædationis ecclesiarum, prophanationum sacramentorum , trucidationis vel incarcerationis Episcoporũ, Pastorũ, Iesuitarũ, Religiosorũ, Religiosarũ, & quamplurimorũ hominum

num piorum & honeſtorum ſecularium; renouans omnes Magiſtratus, priuans contra omnem ordinem iuris, priuilegia, vſus & obſeruationes antiquas, Præſides, Conſiliarios, Gubernatores locorum, Balliuos, Prępoſitos, Prætores, Sculteros, Scabinos, & alios officiarios Catholicos erga nos bene affectos, bonum & quietem patriæ: ſubſtituens in eorum locum & extraordinariè & ſua auctoritate ac ſæpe per tumultum popularem ab eo excitatum (inter quem regnat & triumphat) omnes ſectarios, ſeditioſos & homines turbulentos viuentes præda & ſpoliis, & alios ei ſimiles: ita vt poſuerit omnia in confuſionem magis tyrannicam, barbaram & ſanguinariam quàm vnquam fuit audita. Vnde ægrè ferentes aliquæ prouinciæ Catholicæ, imò videndo conſcientias bonorum ita oppreſſas & violenter anguſtiatas, Eccleſias, Monaſteria, Abbatias, caſtella & domos nobilium & bonorum hominum in terram deiectas, & eorum bona expoſita prædationi, omnibus iniquis, ad diſcretionem iſtius extranei, & totum ſtatum patriæ ſubuerſum ab eo; imò vſque eò vt velit cogere integras prouincias contra ſuum iuſiurandum & voluntatem, voluerunt nobiſcum reconciliari; id quod conatus eſt omni ex parte contrauenire & impedire: ſed illæ fuerũt fortiores & conſtantiores illo. Quod peius eſt, etiamſi idem D. Imperator ad inſtantem petitionem eorundem Statuum (qui ſupplicauerunt ei vt eſſet interceſſor & mediator pacificationis inter nos & eos) fuit contentus ſuſcipere in manibus totũ negotium expediendũ: in quo ob deſideriũ quod habebamus videndi noſtrum populum liberatum ab iſtis calamitatibus, libenter conſenſeramus: & ad eum finem, Sua Maieſtas Imperialis miſerat ſuos Commiſſarios Coloniam, tam Principes Electores, quàm alios ex præcipuis ſancti Imperij, vt

intelligerent articulos differentes: idipſum etiam nec eum in vllo diuertit neque cohibuit à ſuis primis & peruerſis intentionibus: quinimò iidem Commiſſarij, cùm omnia audiuiſſent & diſputaſſent ſatis longo ſpatio temporis ſuper petitionibus eorum Statuum & noſtris præſentationibus, reſoluerunt & decreuerũt capita & articulos quos iuſſerunt publicari & imprimi vt eſſent accepti ab vna parte & altera. Nihilominus totum fuit ſine vllo effectu; nonobſtante quòd iidẽ articuli fuiſſent tã gratioſi, iuſti & æqui, vt nõ fuerit quiſquã boni iudicij, qui non fateretur eſſe pluſquã ſufficiẽtes, & nos plus obtuliſſe quàm quod noſtri ſubditi iure debuiſſent requirere. Intereà temporis & pendẽte iſta cõmunicatione idẽ Aurangius vt tanquam per cuniculos Imperatori & nobis obuiaret, & omnia in deſperationem reduceret, iubet fieri Conuentum Vltraiecti Deputatorum quarundam vrbium & regionum quas tenet in ſua poteſtate, ad moliendam illic vnam nouam confœderationem aut conſpirationem manifeſtam & notoriam contra eandem religionem & nos, cum verbis & iuramentis execrabilibus & deteſtabilibus, non abſtinens ſe ab iniuriando Commiſſarios eiuſdem D. Imperatoris: cui rei facilius exequendæ adhibet ſibi auxiliarios eoſdem fratrem & ſororium & alios apoſtatas: id quod magnis ſolicitationibus, practicis, calumniis & importunis promiſſis, & ferè per vim extorſit à multis partibus: & nõobſtantibus omnibus officiis factis per eoſdem Commiſſarios vt intelligere facerent prouinciis eandem bonam & ſanctam reſolutionem, tam ſalutarem noſtris ſubditis; fecit per ſuos adhærẽtes & homines ſubornatos (quibus vtitur tanquam inſtrumentis) vt iidem articuli fuerint diu ſuppreſſi: & cùm non poſſent diutius celari, non ſolùm impediit quo minus acceptarentur

tur; ſed procurauit vt ſcriberentur libri pernicioſi in contrarium, inſerti omnigenis mendaciis & calumniis: & amplius, demum Deputati quos habet Antuerpiæ apud ſe ſuæ farinæ, petierunt articulos grauiores, impertinentiores, exorbitantes, ſcandaloſos & plenos impietate contra Deum & nos ſupremum eorum Dominum & Principem naturalem, tales quales amplius dici non poſſunt: quinetiam vbi vidit quòd omnibus ſuis artibus, perſuaſionibus & laboribus, non potuit eos omnino conciliare, deliberauit tandem Antuerpia egredi, vnde non diſceſſerat plus duobus annis, & profectus eſt in noſtram ſupradictam vrbem Vltraiectēſem, vt perficeret executionem eiuſdem damnabilis Liguæ, & redderet in perpetuum omnia irremedicabilia: & generaliter ſeſe ita geſſit in omni genere tyrannidis, vt expulerit & exterminauerit omnes eccleſiaſticos; imò ita tractauit Dominos & totam pręcipuam nobilitatẽ noſtrarũ regionũ, vt coacti fuerint ſecedere & deſerere ſuã patriam; vt ipſe ibi regnet & dominetur abſolutiùs inter furias & tumultus populares, bonis expulſis. Et quoniam tota iſthæc confuſio & infortunium quod patiuntur noſtræ regiones, cognoſcitur procedere à conſilio, hortatione, inſtigatione & facto huius perditi & impij hypocritæ per ſuum ſpiritũ irrequietum, & qui ſtatuit totam ſuam felicitatem in turbis noſtrorum ſubditorum: conſequenter quòd notorium eſt quandiu fuerit in noſtris regionibus, nunquam poterit haberi pax, tranquillitas nec vlla quietudo, fundans omnia ſuper diffidentia perpetua quam ſemper in ore habet (quæ res ordinaria eſt iniquis qui conſcientiam habent exulceratã cum Caino, Iuda & his ſimilibus) ac etiam quòd nonobſtantibus requiſitionibus & præſentationibus quæ fuerunt ei factæ, imò per Commiſſarios Imperiales, ei

præſentando maxima emolumenta,in eum finē quòd vellet diſcedere in locum natiuitatis ſuæ (vbi naturaliter quiſq. debet viuere plurimùm) non voluit intendere; & ille extraneus mauult perdere noſtras regiones quàm acquieſcere ei quod conuenit pro bono noſtrorum ſubditorum naturalium illarum.

Propter has cauſas, quæ ſunt tam iuſtæ, æquæ & iuridicę: nos vtentes in eo auctoritate quā ſuper eum habemus tam in virtute iuramentorum fidelitatis & obedientiæ quæ nobis ſæpe præſtitit,quàm tanquam Princeps abſolutus & ſupremus iam dictarum regionum; propter omnia eius facta peruerſa & iniqua, & quia ille ſolus eſt caput, auctor & promotor harum turbarum & principalis perturbator totius noſtri ſtatus; ſummatim, peſtis publica Chriſtiana; Declaramus eum pro proditore & nefario,inimico noſtro & patriæ: Et vt talem proſcripſimus & proſcribimus in perpetuum extra noſtras dictas regiones, alios omnes noſtros ſtatus,regna & dominia; interdicentes & defendentes omnibus noſtris ſubditis cuiuſcunque ſint ſtatus,conditionis,vel qualitatis,frequentare,viuere, conuerſari,loqui,neque communicare cum eo in aperto vel occulto, neque eum recipere vel hoſpitare in ſuis ædibus,neque ei adminiſtrare victus, bibere, ignes neque alias neceſſitates quocunque modo,ſub pœna incurrendi noſtram indignationem,vti hîc infra dicetur: Sic permittimus ſingulis, ſint ſubiecti noſtri aut alij, in executionem noſtræ dictæ declarationis, eum arreſtare, impedire,& ſe aſſecurare de ipſius perſona; quinetiam eum lædere tam in ſuis bonis quàm in ſua perſona & vita; exponentes omnibus eundem Guillelmum Naſſauium, tanquam hoſtem generis humani; dantes cuilibet omnia eius bona mobilia & immobilia vbicunq. ſint ſita, qui ea potuerit capere & occupare, vel acquirere: exceptis

bonis quæ ſunt in præſentia ſub noſtra manu & poſ-
ſeſſione. Et vt etiam res poſſit eo effici promptius, &
ideò citius liberari noſter dictus populus ab iſta ty-
rannide & oppreſſione, volentes præmiari virtutem
& crimen caſtigare, promittimus in verbo regis, &
tanquam miniſter Dei, quòd ſi quis inueniatur, ſiue
ex noſtris ſubditis, ſiue extraneis, tam generoſus a-
nimo & deſiderans noſtri ſeruitij & boni publici, qui
ſciat vllum medium exequendi noſtram dictam Or-
dinationem, & ſeſe liberandi ab iſta dicta peſte, eum
nobis tradẽdo viuum aut mortuum; vel ſaltem ei vi-
tam auferendo; nos ei faciemus dari & numerari pro
ſe & ſuis hæredibus in fundo terrarum & denariis
promptis iuxta eius optionem, ſtatim poſt negotiũ
effectum, ſummam 25. millium ſcutatorum aureo-
rum: & ſi delictum aliquod aut facinus commiſit
(quantumuis graue) nos ei promittimus remittere;
& ab hac hora ei remittimus: imò etiam ſi non fuerit
nobilis, eum nobilitamus pro ſuo valore: & ſi princi-
palis factor aſſumat in auxiliũ ad ſuã machinationẽ
vel executionem ſui facti, alios homines, eis benefa-
ciemus & compenſabimus, & dabimus ſingulis eo-
rum iuxta eorum voluntatem & officium quod no-
bis præſtiterint in hoc negotio; eis remittentes etiam
id quod poſſint commiſiſſe, & eos nobilitantes ſimi-
liter. Et propterea quòd receptatores, fautores, & ad-
hęrentes taliũ tyrannorũ in cauſa ſunt quòd illi con-
tinuẽt, nutriantur, & perſeuerent in ſua malitia, ſine
quibus iniqui nequeunt diu dominari: Nos declara-
mus eos quicunque intra menſem poſt publicationẽ
huius præſentis non recedent à tenendo eius partes;
quinimò continuabunt ei præſtare fauorem, & aſſi-
ſtentiã; vel aliâs eũ cõuerſando frequentabũt, ſequẽ-
tur, aſſiſtent, cõſilio vel fauore iuuabunt, directè vel
indirectè, aut conferent argentum in poſterum; ſimi-

liter pro rebellibus noſtris & hoſtibus quietis publicæ; & tanquam tales eos priuamus omnibus bonis, nobilitate, honoribus & beneficiis præſentibus & venturis; dantes eorum bona & perſónas vbicunque inueniri poſſint, ſiue in noſtris regnis & regionibus, vel extra illas, iis qui ea occupauerint, ſint licet merces, argentum, debita & actiones, terre, dominia & alia, quatenus illa bona nondum ſint in noſtram poteſtatem redacta; vti dictum eſt. Et vt perueniatur ad arreſtum perſonarum eorundem vel bonorum, ſufficiet in probationem, oſtendere quòd viſi fuerunt poſt terminum in hac poſitum, communicare, loqui, tractare, conuerſari, frequentare in publico vel ſecreto cum eodem Aurangio, aut ei dediſſe particularem fauorem, aſſiſtentiam vel auxilium directè vel indirectè. Ignoſcentes tamen omnibus quicquid vſque ad idem tempus fecerint in contrarium, venientibus ſe reducere & ſubmittere ſub debitam & legitimam obedientiam quam nobis debent, acceptando eundem tractatum Atrebatenſem Montibus concluſum, aut articulos Deputatorũ Imperatoris Coloniæ. Damus itaque in mandato noſtris chariſſimis & fidelibus Capitibus, Præſidentibus & viris noſtrorum priuati & magni Conſiliorum, Cancellario & viris noſtri Conſilij in Brabantia; Gubernatori, Præſidenti & viris noſtri Conſilij Luxemburgi; Gubernatori, Cancellario & viris noſtri Conſilij in Gheldria; Gubernatori Limburgi, Falquemontij, Daelhem & aliarum noſtrarum regionum vltra Moſam; Gubernatori, Præſidentibus & viris noſtrorũ Conſiliorum in Flandria & Artheſia; Magno Baliuo Hannoniæ, & viris noſtri Conſilij Montibus; Gubernatori, Præſidenti & viris noſtri Conſilij in Hollandia; Gubernatori, Præſidenti & viris noſtri Conſilij Namurci; Gubernatori, Præſidenti & viris noſtri Conſilij in

Friſia;

Frisia; Gubernatori, Cancellario & viris nostri Consilij in Vltra-issulana regione; Locumtenenti Groeningæ; Gubernatori, Præsidenti & viris nostri Consilij Vltraiecti; Gubernatori Insularum, Duaci & Orchesij; Præposito Comiti Valencenis; Balliuo Tornaci & Tornesij; Computorum magistris de Bewest & Beoosterschelt, in Zelandia; Sculteto Mechliniæ, & omnibus aliis nostris iustitiariis & officiariis & nostris vassallis ad quos hoc spectabit, eorum Locumtenentibus & cuique eorum pro se & prout ad eũ pertinebit, vt hãc nostrã præsentẽ declarationem, edictum & statutum faciant publicari quisque in sua parte, iis locis & limitibus suæ iurisdictionis, vbi solet fieri publicatio; eo fine, vt nemo possit ignorantiæ causam prætendere: ac insuper custodiant, obseruent & manu teneant; faciant custodiri, obseruari & manuteneri inuiolabiliter omnia puncta & articulos ibidem contentos iuxta eorum formam & tenorem, procedentes & facientes procedere respectiuè in recompensatione, appræmiatione, pœna & punitione supra nominatis, sine vllo fauore, conniuentia vel dissimulatione. Hoc autem & quicquid inde dependet exequendi damus eis & cuique eorum plenam potestatem, auctoritatem & mandatum speciale; mandamus & iubemus omnibus, vt eis id faciendo obediant & diligenter intendant. Et nihilominus quia in præsentia hæ dictæ publicationes non poterunt fieri in vrbibus, regionibus & Castellaniis occupatis per rebellionem eiusdem Aurangij, Volumus vt publicationes quæ fient in proximis vrbibus in nostra obedientia existentibus, sint omnino talis valoris & effectus perinde ac si factæ essent passim in locis solitis; & pro talibus eas auctorizauimus & auctorizamus his præsentibus: Imò volumus & iubemus vt statim imprimantur per Impressores iuratos

nostrarũ Vniuersitatũ Louanij vel Duaci in duabus diuersis linguis; vt id facilius in notitiam omnium veniat: & talis est nostra gratia, decretum & beneplacitum. In huius testimonium, nos appendi fecimus nostrum magnum sigillum his præsentibus quæ fuerunt factæ in vrbe nostra Traiecto ad Mosam 15. die mensis Martij Anno gratiæ M. D. LXXX. Nostrorum regnorum, scilicet Hispaniarum, Siciliæ, &c. 25. & Neapolitani 270.

Per expressum mandatum suæ Maiestatis,

Verreycken.

Et sunt eædem literæ sigillatæ magno sigillo suæ Maiestatis in cera rubea & duplici cauda pendente.

LITERÆ PRINCIPIS PARMENSIS GVBERNATORIBVS ET CONSILIIS prouincialibus harum regionum, huius proſcriptionis publicationem imperantis.

Alexander Princeps Parmæ & Placentiæ &c. Gubernator & Capitaneus generalis.

MI cognate, chariſsimi & amatiſsimi: Quoniam Rex meus Dominus duabus iteratis literis ſuis, nobis mandauit valde expreſsè vt faceremus ſtatim publicari per regiones has inferiores proſcriptionem & bannum hîc adiunctum aduerſus Guillelmũ à Naſſau Principem Aurangiæ propter cauſas in illo banno contentas, nos non poſſumus omittere, vt obediatur mandato ſuæ Maieſtatis, quin vobis id mittamus: à vobis requirentes & nihilominus in nomine et ex parte ſuæ Maieſtatis ſtatuentes, vt ſtatim hac viſa id publicetis & curetis publicari per omnes vrbes & loca veſtræ diſtrictionis & iuriſdictionis more conſueto; vt nemo poßit prætendere cauſam ignorantiæ; neque in eo veſtro officio deſitis. Interim mi cognate, chariſsimi & amatiſsimi, Dominus noſter vos in ſua protectione cuſtodiat. Montibus 15. Iunij. M. D. LXXX.

Ita erat ſubſcriptum

Alexander.

Et contraſignatum Verreycken.

Superſcrip.

Gubernatoribus & Conſiliis prouincialibus harum regionum.

RES-

RESPONSIO AD QVASDAM LITERAS EIDEM PRINCIPI FALſo à Parmenſi adſcriptas.

AD ORDINES GENERALES.



SCITIS ex anteactæ vitæ meæ rationibus, ornatiſs. Domini, cõſuetudinis meæ non eſſe, famoſis libellis quos calumniatores quidam contra me vulgarant reſpondere, vt niſi genus illud iniuriæ quod mihi proſcriptione illa abs rege publicata illatum eſt, fuiſſet huiuſmodi; à priſtino meo more non fuerim receſſurus: & niſi quod meus honor & exiſtimatio diuerſum ſuadebant, quemadmodum in ea defenſione quam vobis obtuli, copioſius oſtendi. Ex eo tempore in manus meas incidit epiſtola quædam adulterina, & ab inimicis meis ſuppoſita, quam à me miſſam ſcilicet Duci Andegauenſi, vel (vt ipſi nominant) Duci Alençonio, intercepiſſe ſe dicunt; cuius epiſtolæ exempla nonnulli etiam præcipui inter ipſos nominis tranſmiſerunt, cùm in citeriores ciuitates, tum ad principes quoſdam exteros. Porrò adeò ineptè ſcripta eſt, vt ſiue ſtylum ſiue argumentum conſideres, prima ſtatim facie ſuppoſiti-

posititiam esse appareat: vt tam impudens inuentum, responsionem non mereatur; quemadmodum nemo, Deo gratia, in his fuit regionibus qui literis illis vel tantillum moueretur. Quin contrà ab omnibus est intellectum, vnum hoc eos spectasse, vt talibus fumis tenebras offunderent claritati illi, qua execrabiles ac perniciosi illorum contra hanc Rempub. conatus, tum ex literis Cardinalis Granuellani, tum aliorum quorundam quas, agnito eorum charactere, signis ac sigillis, imprimendas curastis, sunt proditi: vtque argumentum iis suppeteret, euomendi instar impudentium mulierum, maledicta plena mendacij & vanitatis. Sed tantum abest vt de me victoriam eam quam affectarunt reportauerint, vt contrà diuulgandis huiuscemodi ineptiis gratum mihi fecerint, propterea quòd defensionem meam tum stabiliant, dum se esse probant perfrictæ frontis mendaces impudentissimos calumniatores, & ineptissimos falsarios; quo innocentia atque integritas mea magis magisque clarescit, & actiones meæ probatiores euadunt. Nam quandoquidem illud omnibus constat, nullum ipsis nuncium afferri posse gratius, quàm si regiones hasce relinquam: spondeo ipsis, atque adeò vobis Domini interposito honore meo promitto, me id esse facturum, si coram vobis probare possunt, me huiuscemodi epistolam aut scripsisse aut scribi iussisse aut omnino misisse; atque adeò euestigiò regionibus excedam, meque hinc recipiam, nec vnquam illis me opponam: polliceorque me

ad eorum nudam petitionem fide publica ipsis cauturum, talemq́ue commeatum daturum qualem ipsimet petere aut volent aut poterunt. Veruntamen ea lege, vt nisi prouocati conditionem hanc tam æquam ac iustam accipiant, omnes hi qui fuerunt huiuscemodi scripti auctores, aut qui publicarunt aut ad hasce ciuitates nobis citimas, aut ad Principes & regiones exteras miserunt, pro mendacibus, calumniatoribus ac obtrectatoribus, quales reuera sunt, apud omnes habeantur. Delphis VII. Cal. Februarij M. D. LXXXI.

FINIS.

